2

GEORG. ENGELBRECHT
JCti

COMMENTATIO
DE

CONJVNCTIONE OFFICIORVM

Von
Mannigfaltigung der Dienſte.

EDITIO NOVISSIMA.

(7½.)

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
MDCCLI.

Biblioteca Nazionale V. E. III.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. D.

Th. I.

Omnem Rempublicam compoſitam eſſe ex ordine Imperantium & parentium præclare *Ariſt. lib.* 3. *cap.* 4 *Polit.* expoſuit. In hoc enim ordine tantum ſitum eſt momenti, ut illo recte compoſito non poſſit non Respubl. ſalva & tranquilla florere, eo autem corrupto & male ſe habente ipſa ſocietas Civilis in maximum diſcrimen ac tandem perniciem & ruinam incidat neceſſe eſt. Cum vero Majeſtas huic ordini inque eo occurrentibus negotiis propter eorum multitudinem, præſertim ſi finem omnis bene conſtitutæ Reipubl. i. e. ſtudium virtutis & rerum ſufficientiam obtinere velit *Ariſt. lib.* 4. *Polit. cap.* 13. *lib.* 3. *cap.* 4. *&* *lib.* 1. *cap.* 5. *Rhet.* ſola præeſſe non valeat, nec propter dignitatis ſuæ eminentiam velit eique indicorum ſit, neceſſe eſt, ut tres omnis Reipubl. neceſſarias partes Senatum ſcil. Magiſtratum & Judicium conſtituat *Ariſt. Polit. lib.* 4. *cap.* 14. tria enim tempora in omni Republ. conſideranda ſunt; futu-

Digitized by Google

rum, præteritum ac præſens. Senatus igitur in futurum conſulit & de rebus ſtatum publ. concernentibus, quarum præcipuæ & maximæ ſunt bellum & Pax, Vectigalia & reditus publici, Cuſtodia regionis, exportanda & importanda, Legum conſtitutio, fœdera hodie die Allianzen/ Religio, ratio repetundarum, ſollicite deliberat & ſaluberrime decernit, *Ariſt. Rhet. lib.* 1. *cap.* 4. *inciſ.* 10. *&* *Polit. lib.* 4. *cap.* 14. Judicis vero officium eſt de cauſis præteritis tam civilibus quam criminalibus legitime cognoſcere, de iisque Jus dicere, *Ariſt. lib.* 4. *Polit. cap.* 16. quibus accedit Magiſtratus circa præſens Reipubl. tempus potiſſimum occupatus, & decreta ac ſententias exequitur, cum ejus potiſſima vis ac virtus conſiſtat in imperio, licet illa poſſit ac ſoleat eſſe conjuncta cum poteſtate deliberandi & judicandi *Ariſt. lib.* 4. *Polit. cap.* 15. & hi omnes ſunt quaſi aures, manus, oculi & pedes Principum. *Ariſt. lib.* 3. *Polit. cap.* 12.

TH. II.

In perſonis autem, ut idoneæ cenſeantur ad ejusmodi neceſſaria Reipubl. officia ſubeunda tria conjunctim concurrere debent. *Ariſt. lib.* 5. *Polit. cap.* 9. (1) Amor (2) Facultas (3) Virtus. Amor enim requiritur, ne officialis noceat Reipubl. aut prorſus eam evertat, nam qui poteſt & vult injuriam inferre, ille etiam facit *Ariſt. lib.* 1. *Rhet. cap.* 12. Jam ejusmodi Magiſtratus vult, ſi eſt inimicus præſenti ſtatui, poteſt, cum ſit magna ſæpius armatus potentia. Facultas in eo conſiſtit, ut ſit ſufficienti illius, cui præficitur muneris gerendi ſcientia & uſu inſtructus, Virtus denique ideo abeſſe non debet, quoniam iniquitas armata valde moleſta eſt & noxia *Ariſt. lib.* 1. *Polit. cap.* 2.

&

Digitized by Google

& improbos facere potentes eſt res cum maximo Reipubl. periculo conjuncta *Ariſt. lib.* 6. *Polit. cap.* 8.

TH. III.

Cum autem alter alterum animi & corporis dotibus multum antecellat, alter altero eſt aptior ad graviora & plura munera adminiſtranda, inprimisque ea quæ ita ſunt comparata, ut commode conjungi posſint, & ſecundum mores & ſtatuta locorum, Reipubl. utilitate ita exigente conjungi conſueverint, alias enim officiorum cumulatio non debet fieri promiſcue, ſed magna cautione hic opus eſt, cum ex frequenti officiorum conjunctione inſigne ſæpius malum in publicum redundet, idque *Ariſt. in lib.* ſuis polit. non uno in loco innuit *vid. lib.* 2. *cap.* 9. *inciſ. Culpam autem in ſe continere*, eoque nomine reprehendit Rempubl. Carthaginienſium; idem repetit *lib.* 4. *cap.* 15. & quidem ob rationes non contemnendas (1) enim unumquodque opus melius adipiſcitur ſtudium ſuum, ſi ipſum incumbat in illam rem ſolum quam ſi in multas, cum unum opus ab uno optime conficiatur, accedit (2) quod longe civilius ſit, pluresque præſentem ſtatum ament, ſi Magiſtratus & dignitates cum pluribus communicari videant, contra autem faciendo (3) præcluditur via idoneis ad gerendos Magiſtratus. Unde (4) odium erga præſentem ſtatum naſcitur, itaque (5) patriam deſerunt, & alio ſe conferunt, ubi major & uberior virtuti locus eſt. Sic (6) ſpoliatur civitas viris bonis, ut jam (7) taceam quod plures Magiſtratus ad ſe rapientes ſub ſpecie laborum Rempubl. interdum quæſtui habeant.

TH. IV.

Hæc autem omnia illuſtrari poſſunt ſimili ex prin-

cipis Medicorum Galeni ſcriptis deſumto: medicamenta inquit πολύχρηστα i. e. quæ multis morbis adhibentur, nihil eximie ullo in morbo præſtant, ita, qui pluribus officiis præſunt, nihil eximie proficiunt, nec ſilentio hic prætereundum Plutarchi ſimile, quemadmodum inquit manus in multos eſt diviſa digitos & ſic celerem expeditumque ad gerenda negotia uſum habet, ſic ſingula munera ſingulis impoſita & rectius & expeditius curantur. Idem eſt conſtitutum in Jure Civili *l.* 40. §. 1. *Cod. de Epiſc. & Cler. l.* 14. *init. Cod. de Aſſeſſ. l. quisquis final. Cod. de cohort. Princip. lib.* 11. *tit.* 5. *l.* 10. *Cod. de Prox. ſacr. ſcrin. lib.* 12. *tit.* 9. Cui adſtipulatur Jus canonicum *Can. l. diſt.* 89. *cap.* 3. *X. de Cler. non reſid.* Et hoc obtinet in magnis Rebuspubl. in parvis vero nec adeo longe patentibus (pro quibus forſan multæ Germaniæ ſocietates civiles non immerito venditantur) e re eſſe dicit *Ariſt.* plures curas ſimul jungi neque enim ſibi ſunt impedimento ac non parum confert ad ſumtos publicos contrahendos, & pro paucitate hominum virtuoſorum atque capacium neceſſe eſt, Magiſtratus tanquam obeliſcolychnia facere *Ariſt. lib.* 4. *Pol. cap.* 15. quale autem illud inſtrumentum fuerit noſtrum non eſt prolixe & ſollicita cura inquirere, ſufficit ex allegato loco cognoſci, quod ad plures uſus fuerit accommodatum.

Th. V.

Hiſce fundamenti loco adductis explicandum eſt vocabulum officii, idque variis modis ſumitur, ex quibus tamen una tantum & altera acceptio tangenda erit Officium itaque denotat (1) debitum, ad quod aliquis vel naturaliter vel civiliter eſt obligatus, uti eſt pietatis officium, & inde nonnulla teſtamenta inofficioſa

Digitized by Google

ciofa appellantur, idem de donationibus nonnullis aſſeritur in Jure, *tot. tit. Inſt. ff. & Cod. de querel. inoff. tot. tit. Cod. de inoff. donat.* (2) Judicis poteſtatem quam habet eo nomine imploratus circa libellos in Judiciis exhibitos, iis aliquid vel addendo vel demendo prout natura vel indoles negotii propoſiti hoc exigat & vocatur officium Judicis nobile germ. das Hoch Adl. miltrichterliche Ambt/ & ſolet ſalutari illa clauſula omnibus libellis ſubnecti ſolita indigitari, *Deſuper Nobiliſſimum Judicis officium humillime implorans.* Cui opponi ſolet officium Judicis mercenarium. (3) operam gratuitam, inde dicitur in Jure noſtro, quod nemini officium ſuum debeat eſſe damnoſum *l. 7. ff. quemad. teſt. aper. l. 61. §. 5. ff. de furt.* (4) Miniſterium ſervile *l. 46. ff. de Jur. fiſci* (5) imperium & poteſtatem Juris dicendi *l. 47. ff. de verb. oblig.* (6) ipſam perſonam Magiſtratus & Judicis, unde deponere apud officium h. e. Judicium vel Magiſtratum *l. 7. §. ult. ff. qui ſatisd. cog.* (7) munus publicum vel honorem *l. 2. ff. quæ ut indig. l. 4. §. 1. ff. de off. proconſ.* Et in hac ſignificatione accipimus hic officium & deſcribimus, quod ſit adminiſtratio rerum publicarum vel privatarum propter utilitatem tamen publicam ſuſcepta vel cum vel abſque dignitatis gradu. Ipſa vero conjunctio officiorum nihil eſt aliud, quam collatio plurium officiorum uni eidemque perſonæ facta. Noſtrum jam inſtitutum exigit ut juſtum ordinem obſervaturi (1) progrediamur ad perſonas (2) officia, quæ conjungi poſſint nec ne (3) Modum conferendi & conjungendi officia (4) ad Effectum, & demum (5) concludemus hanc diſſertationem brevi enarratione modorum, quibus officia finiuntur.

Digitized by Google

TH. VI.

Exordiendum igitur eſt a perſonis tum conferentibus tum quibus conferuntur officia, illæ enim etiam conjungere & in iis conjungi officia poſſunt. Duplex autem in univerſum poteſt conferre & per consequens conjungere officia, *lex* & *homo*. Lex enim affectibus caret & perturbationibus ut ait *Ariſt. lib.* 3. *Pol. cap.* 12. *imo DEUM imperare jubet qui leges imperare jubet* Ariſtot. eod. loc. utut enim univerſaliter loquantur, adeoque ſingularia, quæ in Magiſtratibus eligendis & conferendis officiis attendenda ſunt, accurate determinare non poſſint *Ariſt. l.* 3. *Pol. cap.* 12. *&* 13. *lib.* 5. *Eth. cap.* 14. Magiſtratus tamen imo ipſi Legumlatores adſunt, qui, ſi qua exoritur difficultas eam facile ſolvere & corrigere ſciunt *lib.* 3. *Polit. cap.* 12. Lex autem *vel eſt ſcripta vel non ſcripta* §. 3. *inſt. de Jur. nat. Gent. & Civil. l.* 6. §. 1. *ff. de Juſt. & Jur.* Ita olim a Lege non ſcripta, hodie vero ſcripta publica nimirum Aureæ Bullæ ſanctione ſumma imperii officia deferuntur, tum Electoribus Eccleſiaſticis tum ſecularibus & quidem ArchiEpiſcopo Moguntino ArchiCancellariatus per Germaniam, Trevirenſi per Galliam & Regnum Arelatenſe (quibus nominibus non integra Gallia ſed quidquid ejus ad Regnum Burgundicum pertinuit, quod ſeculo XI. Germaniæ jungi cœpit intelligitur) Colonienſi per Italiam: etſi hodie uti vult & loquitur Monzamb. *de Statu Imperii Germanici cap.* 4. §. 7. penes priorem res, penes poſteriores inane fere nomen vel, ut alius dicit, rudera veteris dignitatis remanſerunt. Rex vero Bohemiæ eſt Archipincerna & in celebratione ſolennis Curiæ imperatori primum po-

culum porrigit non tamen ſub corona regali, niſi Rex Bohemiæ coronatus id libera voluntate facere velit. Aur. Bull. tit. 4. & 25. Bavarus hodie eſt Archidapifer & in ſolenni proceſſione geſtat imperiale pomum Aur. Bull. *tit.* 22. *jung. Inſt. Pacis Oſnab. art.* 4. Saxo ArchiMarſchallus præfert Imperatori gladium evaginatum A. B. *tit.* 5. *&* *tit.* 22. Brandeburgicus ArchiCamerarius Imperatori aquam porrigit & in proceſſione ſceptrum præfert A. B. *tit.* 22. Comes Palatinus Rheni Architheſaurarius ſolenni deductione Regis Coronati ad Palatium coronam geſtat & in circumſtantem populum nummos aureos atque argenteos ſpargit. Conring. *dum viveret magnum hujus Academiæ lumen Exercit. de official. imperii th.* 21. ſinguli autem Electores tam Eccleſiaſtici quam ſeculares in ſuis officiis habent ſubofficiales & Vicarios A. B. *tit.* 25. Conringius *diſput. de Elect. th.* 49. Monzamb. *dict. cap.* §. 7. ubi hæc prolixius videri poſſunt.

Th. VII.

Pariter munus & officium tutelæ lex atque Aur. Bull. proximo agnato ſeniori defert, ſi quis Elector liberos nondum 18 annos natos relinquens moritur, adeo ut hic teſtamentariis tutoribus præferatur, ſi forſan eos pater conſtituerit Aur. Bull. *tit.* 7. *in verbis Tunc frater ſenior.* Coring. *ad Lamp. part.* 3. *cap.* 4. §. 25. Jus vero Civile & Saxonicum demum poſt tutores teſtamentarios matri & aviæ tam paternæ quam maternæ lineæ ſimul concurrenti tutelam confert, idque obtinet non tantum in liberis privatorum, verum etiam Ducum, Principum ac Comitum, ita ut mater & avia ſimul adminiſtrationem Ducatuum &

Provinciarum conſequatur, *Novell.* 118. *cap.* 5. *Auth. matri & aviæ Cod. quando mul. tut. off. fung.* LandR. *lib.* 1. *art.* 11. *in fin.* & Gloſſa *ibid.* Richt. *part.* 1. *deciſ.* 18. *num.* 3. Ludolphus Schrader *defeud. part.* 10. *ſect.* 19. *num.* 28. Jungatur *receſſus imperii de anno* 1654. in illius enim ſubſcriptione fit mentio Mariæ Annæ viduæ Electoris Bavariæ, quod illa tum temporis nomine filii Ferdinandi Mariæ tutelam & ducatuum adminiſtrationem geſſerit. Quod ſi autem mater & avia non adſit vel licet adſit, nolit tamen, lex XII. tab. propter emolumentum ſucceſſionis ſolum agnatos ad legitimam tutelam vocabat *princip. Inſt. de legit. tut.* Jus vero Novum quia tam cognatos quam agnatos in bonis allodialibus ad ſucceſſionem admittit, utrisque, ita tamen ut a proximioribus remotiores excludantur, tutelam legitimam confert. *Novell.* 118. *cap.* 5. *auth. ſicut. hæred. Cod. de legit. tut.* Verum in impuberibus Ducum, Marchionum, Principum, Comitum & Baronum reſpectu feudi connexam Regalem dignitatem habentis lex tutelam defert agnatis *perl.* 1. & ibi Doct. *Cod. de Tut. & Curat. illuſt. perſon.* Ludolphus Schraderus *dict. ſect.* 19. *num.* 43. 45. 46.

Th. VIII.

Exhiſce, niſi valde fallimur, dilucido apparet, nonnulla officia immediate a Lege deferri, adeoque porro nullum ſubeſſe dubium quin lex in una eademque perſona plures dignitates & officia, ſalute ita publica exigente, conjungere poſſit, & ſufficere puto, ſi unico illuſtri tamen exemplo illud demonſtretur. Aurea nimirum Bull. mortuo Cæſare & durante interregno Vicariam in gubernando imperio poteſtatem concedit

Digitized by Google

dit Palatino & Saxoni Electoribus, inque horum perſonis Electoralem dignitatem cum hac Vicaria gubernandi Imperii poteſtate conjungit *Aur. Bull. tit.* 5. inde etiam proviſores Imperii in allegato *A. B. tit.* appellantur, utrum autem hodie officium Vicariatus Bavaro an Palatino competat quia hæc controverſia ad noſtrum inſtitutum proprie non ſpectat, illis examinandam relinquemus, a quibus officii ratio hoc videtur exigere. Conſtat interim legem plura officia conjungere poſſe.

Th. IX.

Perſona vero tum conferens tum conjungens officia vel eſt publica vel privata. De perſona publica prius agendum, in qua requiritur, ut velit & poſſit conferre & per conſequens conjungere officia. Ad τὸ poſſe duo iterum ſunt neceſſaria (1) ut facultate & poteſtate polleat (2) ut illam poteſtatem bene & utiliter exercere poſſit. Poteſtate deferendi & conjungendi officia tantum gaudent illi qui vel Jura Majeſtatica vel hiſce analoga habent vel hanc poteſtatem a ſuperiore aut a Lege, Canonibus vel moribus ſunt conſecuti, nam a Magiſtratuum & officiorum ad minimum potiſſimorum conſtitutione ac cumulatione magna ex parte dependet ſalus publica, eoque nomine non injuria hanc poteſtatem ad Jura Majeſtatica ipſique ſimilia referimus. vid. Ariſt. *dict. lib.* 4. *Polit. cap.* 15. *l.* 1. *ff. ad L. Jul. de ambitu l.* 6. §. 2. *ff. de tut.* vid. Conring. *in diſput. de Conſtitut. Epiſcopor. th.* 89. Antonius Peretz *ad tit.* 1. *lib.* 12. *Cod. num.* 2. Tales autem in noſtro Imperio Rom. Germanico ſunt Imperator, Electores, Duces, Marchiones, Principes, ſtatus Im-

Digitized by Google

perii Circulares quando Dux vel alius officialis Circuli eligitur, quo etiam pertinent die zugeordneten *Receß Imperii de anno 1555. §. 58. & 59.* Comites, Nobiles immediati, Civitates tam imperiales quam municipales ſive Provinciales. Verum pro diverſitate Regiminis in civitatibus recepti, ipſæ etiam perſonæ eligentes variare, & augeri & imminui ſolent. Nam in nonnullis ſoli Conſules & Senatores eligunt; in aliis vero, ſi novi ſenatores eligendi ſunt ex toto civitatis corpore & civium collegiis aus denen Innungen adjiciuntur nonnullæ perſonæ, quæ vocari ſolent die Wahl-Herrn / die Köhr-Herrn. Nam conſuetudo & leges ubique attendendæ, ne novitas eligentium electionem ſuſpectam vel nullam reddat arg. *l. 5. Cod. de LL.* Mevius *ad Jus Lubecc. lib. 1. tit. 1. art.* 17. *num.* 7. *&* 19. ſatis de iis, qui Jus conferendi & conjungendi officia ſecularia habent.

TH. X.

Quod vero ſacra & Eccleſiaſtica officia attinet in Archi-Epiſcopatibus & Epiſcopatibus Germaniæ eligendi vel poſtulandi Jus (licet in una eademque perſona plures Epiſcopatus cumulentur, quod vocatur in Capitulationibus Imperatorum Germaniæ die Mannigfaltigung der officien *capitul. Carol. V. art.* 16. *capit. Leopol.* Imperatoris noſtri Invictiſſimi *art.* 19. reſidet penes Capitula & Collegia Cathedralia, idque potiſſimum in uſum pervenit ſecul. XIV. Conring. *dict. diſput. de conſtitut. Epiſc. Ger. th.* 65. Quin & eodem ſeculo declinante, poteſtatem confirmandi Epiſcopos Pontifices Romani ſibi arrogarunt Conring. *dict. diſſert. th.* 74. Hanc tamen uti & poſtulationem, Epiſcopi Proteſtantes

tes

Digitized by Google

tes ſive electi ſive Poſtulati repulſam ferre nolentes, a Romano Pontifice petere hactenus neglexerunt, excepto forſan unius Henrici Julii Halberſtadenſis Epiſcopi ſive confirmationis ſive Poſtulationis in Curia Romana impetratæ exemplo, & in poſterum forſan negligent, præſertim cum Inſtrum. Pacis Oſnab. eos, licet non fuerint a Pontifice confirmati, a ſeſſione & ſuffragiis in conventibus imperii publicis regaliumque uſu quæ ab Imperatore recognoſcunt, excludi nolit. Grund-Feſt des heil. Römiſchen Reichs *part.* 1. *cap.* 5. §. 1. *in fin.* Conring. *dict. diſput. th.* 86.

TH. XI.

Minora officia Eccleſiaſtica non per unam perſonam apud Aug. Confeſſ. addictos conferri ſolent, alius enim hic eſt Patronus, alius Epiſcopus ſive qui jura Epiſcopalia exercet uti ſunt Duces & omnes Imperii Status Auguſt. Confeſſioni addicti. Patronus nominat certam perſonam Eccleſiæ, eamque populo in ſuggeſtu ad audiendum & videndum ſiſtit, quam a populo approbatam poſtea vocat per literas, uti appellantur, vocationis, cumq; iis illum ad Epiſcopum vel Conſiſtorium Epiſcopum repreſentans ad examinandum & explorandam eruditionem ac mores ablegat, quo facto & ordinatione prius rite ſubſecuta, ordinatus autoritate illius, qui Jura Epiſcopalia exercet, per Superintendentem introducitur & inveſtitur Carpz. in *Jprud. Conſiſt. lib.* 1. *def.* 22. Enumeratæ autem perſonæ poteſtatem ſuam in deferendis & conjungendis officiis non aliter utiliter exercent, niſi accuratam rerum ad ſingula officia neceſſariarum cognitionem habeant, nam uti Ariſt. *lib.* 3. *Polit. cap.* 7. eleganter loquitur *Recte eli-*

gere munus & opus ſcientiae eſſe videtur ut & Geometram Geometrarum & gubernatorem gubernatorum, nam etſi de quibusdam quoque operibus intelligunt, & Idiotæ quidam, non tamen melius quam docti, eadem eſt ratio aliorum & uſuum & artium. Privatæ demum perſonæ officia deferentes, parentes ſunt liberis impuberibus & minoribus tutores & Curatores in teſtamento relinquentes *Refor. Polit. de anno* 1577. *tit.* 32. *init. in verb.* daß den Pupillen und minderjährigen Kindern biß ſie zu ihren voigtbahren Jahren kommen/ Vormünder und Vorſteher/ da die ihnen von ihren Eltern in Teſtamenten oder letzten Willen nicht verordnet. ꝛc.

Th. XII.

Perſonæ autem, quibus vel unum vel plura officia deferuntur, poſſunt in genere officiales vocari: Et de his notandum, quod pro diverſitate officiorum diverſa etiam prudentia & cognitio in illis ſit neceſſaria. In nonnullis enim deliberativa, in nonnullis Legislatoria, in aliis Judiciaria prudentia, imo etiam ſcientia œconomica requiritur. Hiſce poſitis ita argumentamur. Quicunque (1) facultate, h. e. ſufficienti prudentia & cognitione (2) virtute (3) voluntate ſunt inſtructi, illis poſſunt officium vel unum vel plura committi, nam videntur idonei. Quibus autem unum vel omnia tria requiſita deſunt, adeoque vel naturali vel Civili impedimento prohibentur, illi ſunt excludendi tam ab uno quam a pluribus officiis *arg. l.* 12. §. 2. *ff. de Jud. l.* 11. §. 1. *ff. de mun. & honor.* Conſideranda igitur eſt ætas, habilitas, induſtria & conditio perſonæ, cui de fertur honor ſeu muneris adminiſtratio; item origo natalium, facultates quoque, an ſufficere

in

injunƈto muneri poſſint. *l.* 18. §. 3. *ff. de muner. & honor.* nam officiorum cumulatio non in detrimentum ſed in emolumentum publicum cedere debet. Jam tales ſunt (1) Minores 25. annis *per l.* 11. *ff. de Decur.* niſi forſan ſit officium, quod non ſingulare animi conſilium nec perfeƈtam prudentiam requirat, nam minores regulariter ad Reip. adminiſtrationem non ſunt admittendi. *l.* 8. *ff. de muner. & honor. l.* 1. *&* 2. *Cod. qui ætat. vel profeſſ. ſe excuſ.* annus tamen 25. cœptus pro completo habetur *l.* 8. *ff. de mun. & hon.* niſi etiam eum in finem veniam ætatis a ſuperiori impetraverint. *l.* 2. §. *ſenat. Cod. de his qui veniam ætat. impet.* Hoc tamen caſu tutius eſt, ut tantum interſint negotiis publicis, iisque aſſueſcant, & ſtipendio etiam fruantur, non vero ſuffragium ferant, ſed ſeniores ſolum audiant. Perez. *ad Cod. tit. qui ætat. vel prof. ſe excuſ. num.* 6. Conſuetudo tamen cujusque loci hac in re ſervanda eſt *l.* 11. *ff. de Decur. l.* 8. *ff. de muner. & honor. l.* 5. §. 1. *ff. de Jur. immunit.* Impuberes etiam ad honores, qui ſunt ſine adminiſtratione, promoveri poſſunt, adeo, ut nec militaria officia excipiantur: quo caſu illa perperitos, donec impuberes ad juſtam ætatem pervenerunt adminiſtranda ſunt *l. ult. C. de milit. teſtam. l.* 21. §. 6. *ff. ad Municipal. l.* 1. *in fin. C. de muner. & honor. non continuand. & Brunnem. ibi.* (2) Senes nati 55. annos ad ſubeunda officia, quæ præcipue corporis operam requirunt, inviti nequeunt cogi *l.* 1. *ff. de Decur. l.* 3. *Cod. qui ætat. vel profeſſ. ſe excuſ.* Reƈtius tamen forſan alii hoc intelligunt, de iis qui 70. annis ſunt majores *l.* 2. §. 6. *ff. de vacat. mun. l.* 3. §. 3. *ff. de mun. & hon. l.* 3. *ff. de Jur. immunit.* Nam

ut

ut Cicero alicubi dicit *Mens ratio & conſilium in ſenibus eſt.*

TH. XIII.

(3) Cœci *l. 1. Cod. qui morb. ſe excuſ.* non vero dignitatem & officium propter ſupervenientem cæcitatem amittunt, novam tamen non acquirunt *l. 1. §. 5. ff. de poſt. l. 8. Cod. de decur.* licet Judices fieri poſſint, nam in judicando non tam oculis quam lingua & auribus opus eſt Brunn. *ad l. 1. ff. de poſtul. num.* 17. & ubi inſpectio ocularis neceſſaria eſt, ea per alium poteſt fieri, niſi forſan dictam *l.* 6. de judicibus pedaneis velimus intelligere, a quibus hodierni Judices, quorum officium cum dignitate & Magiſtratu eſt conjunctum, plane ſunt diverſi, quia vero externus etiam decor requiritur vix cœci hodie ad Judicis officium admittentur. (4) Mutus & ſurdus nam propriis negotiis ſupereſſe nequeunt *arg. §. 4. inſt. de Curat. l.* 12. *§.* 2. *de Jud.* (5) fœminæ; regulariter enim officiis non perfunguntur *d. l. 12. §. 2. ff. de Jud. l. 16. l. ult. ff. de tut. l. 2. ff. de Reg. Jur.* (6) Infames *l. 8. ff. de Decur. l. 6. §. 3. ff. eod.* nam infamibus portæ dignitatum patere non debent *l. 2. C. de dignit. cap. infamibus de Reg. Jur. in 6to:* quippe tantum abeſt, ut ad dignitates iis liceat aſpirare, ut etiam a cœtu honeſtiorum ſegregentur *d. l. 2.* nec aulam Principis ingredi liceat. *l. 3. C. de Re milit.* (7) Judæi *l. ult. Cod. de Judæ.* nullius enim dignitatis ſunt capaces neq; ad Patriæ honores Rerumque publ. adminiſtrationem adſpirare debent, quamvis onera ſubeant *l. 5. 10. Cod. de Judæ. l. 49. Cod. de decur.* inde porro concludunt, quod Judæo non poſſit conferri dignitas Doctoralis arg. *l. ult. Cod. de Jud.* neque etiam in commiſſionibus

pro

Digitized by Google

pro inſpectione vulnerum aliisque negotiis, ubi medicorum opera utuntur JCti, adhiberi debeant. Rutg. Rul. *de Commiſſ. part. 1. lib. 4. cap. 15. num. 9.* jung. Marq. de Suſann. *de Judæis part. 2 cap. 7. num. 1.* Ne acquiſiti officii autoritate muniti inſultandi Chriſtianis poteſtatem nanciſcantur.

Th. XIII.

(8) Hæretici *l. 1. l. 7. Cod. de hæret. Novell. 45. in princip.* oneribus quidem patriæ implicantur, honoribus vero nullis funguntur ſed remanent in turpitudine fortunæ ſuæ, ni reſipiſcant, quantumvis civium ad munera & officia publica ſubeunda idoneorum adſit paucitas, ne quid pernitioſi contra orthodoxam Religionem moliantur, ubi tamen notandum, quod in imperio Romano Lutherani neque Pontificios neque Reformatos quoad actus civiles pro hæreticis habere poſſint nec viceverſa Pontificii & Reformati Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quia triplex hæc religio publica lege eſt approbata *inſtrum. Pacis Oſnab. art. 7.* quapropter Leopol. Imperator Auguſtus ſtatim ſub finem art. 1. Capitul. Lutheranæ & Reformatæ non minus ac Pontificiæ Religioni protectionem pollicetur, verb. Jhre ſcil. des Chur-Fürſten zu Sachſen / Brandenb. und Pfaltz Religions-Verwandte gleichen Schutz gehalten und geleiſtet werden ſoll / quæ clauſula prioribus Capitulationibus non inſerta reperitur. (9) Relegati *l. 15. princip. ff. ad municip.* (10) Rei capitalium criminum. *l. 17. §. 12. ff. ad municip.* (11) ordine ad tempus moti ex crimine ignominioſo *l. 5. ff. de decur.* adeo ut ne quidem finito tempore Jure antiquo reciperentur. Verum hoc videtur correctum in *l. 3. Cod. ex quib. cauſ. inf. irrog.*

C Nam

Nam pœna tempore determinata ulterius non debet porrigi *l.* 8. *ff. de poſtul.* (2) Qui ſolum alicujus criminis publici accuſantur. Nam recipiendis muneribus ſemper obſtat, quælibet criminis objectio *l.* 7. *ff. demum & honor. l.* 1. *C. de Reis poſtul.*

TH. XIV.

Contra unum vel plura officia committi poſſunt non ſolum patribus verum etiam filiis famil. per *l.* 5. *Cod. de decur.* cum in publicis pro patribus famil. habeantur. *l.* 9. *ff. de his qui ſui vel alieni Jur. ſunt l.* 8. *ff. de mun. & hon.* (2) non modo doctrina excultis ſed etiam negotiatoribus & artificibus Kauffleuten und Handwercks-leuten/ licet non ſint periti literarum *l.* 6. *Cod. de decur.* modo non ſint inopes & per uſum quotidianum approbati judicioque polleant. *arg. l.* 17. *Cod. de Judic.* multa enim ſunt in Repl. officia, quæ ſcientiam literarum non requirunt Perez. *ad tit. Cod. de decur. num.* 5. (3) ſpurii olim ad decurionatum admittebantur *l.* 3. §. 1. *l.* 6. §. 1. *ff. de decur.* Cui non abſimilis eſt, in Civitatibus provincialibus dignitas ſenatoria, nam decurionibus hodie comparantur magiſtratus civitatum provincialium die Rahtmänner / licet horum conditio longe ſit potior quam olim fuit decurionum in municipiis, nihilominus tamen a decurionibus ad hodiernos ſenatores frequens eſt argumentum, modo nulla diverſitatis ratio adſit Hahn. *ad tit. ff. de Decur. num.* 1. Hoc tamen requiritur, ut ſpurii ſint vita honeſti & idonei nec alii legitimi cum iis concurrant, quos præferri oportet; Alias enim non impedienda eſt dignitas ejus qui nihil admiſit, nec obeſt, quod infames dicantur quibus porta honorum non patere debet *l.* 8. *Cod. de decur. l.* 2. *Cod. de dignit.* nam non aliter ii olim ad decurio-

Digitized by Google

curio natum admittebantur quam aliis deficientibus & urgente neceſſitate publica & præterea ſine honore ac prærogativa dignitatis, hodie tamen ſi legitimantur admitti ſolent. (4) Pater & filius: jure enim civili una admittuntur ad officia publica; multo magis fratres *l.* 1. *Cod. de mun. & honor. non contin.* hodie plerumque ex ſtatuto arcentur, idque ideo, ne colludant; & ut ſuſpiciones corruptelarum tollantur. Hahn. *ad tit. ff de Decur. n.* 2. *in fin.* accedit, quod ſoleat eſſe initium oligarchicæ dominationis, & plures, quos naturalis affectus conjungit, raro ſincera ab affectu capiunt conſilia. Mæv. *ad jus Lübec. libr.* 1. *tit.* 1. *art. V. n.* 2. *&* 4. (5) liberi delinquentium. Nullum n. patris delictum innocenti filio pœnæ eſt, ideoque nec ordine decurionum aut cœteris honoribus propter ejusmodi cauſam prohibetur *l.* 2. §. 7. *ff. de decur. l.* 26. *ff. de pœn.* Excipiuntur per duellium liberi, in quos ob Majeſtatis periculum ſingulare jus eſt *l.* 5. §. 1. *C. ad l. Jul. Maj.* Aur. Bull. *tit.* 24. *init.* (6) Senes, a muneribus enim, quibus honor & dignitas conjuncta eſt, ne ætas quidem 70. annorum ſemper excuſat. *l. in honoribus* 8. *ff. de vacat. & excuſat. mun.* Et ſic excuſationem alicujus ad Aſſeſſoratum vocati rejectam eſſe refert. Joh. a Sande *deciſ. Friſic. libr.* 5. *tit.* 10. *def.* 1. Supra igitur de ſenibus dicta intelligimus de muneribus cum honore & dignitate non conjunctis, uti eſt tutela & cura.

TH. XV.

Supereſt ut videamus, unde & ex quibus, an ex originariis an vero extraneis officiales ſint eligendi? Et conſultum videtur, quod indigenæ præferendi ſint extraneis *l.* 11. *Cod. de Epiſ. & Cler. l.* 2. *C. de off. præl.* & hoc etiam in hiſce ducatibus obtinet non tantum quo-

ad munera Eccleſiaſtica verum etiam ſecularia der Land-Tags-Abſchied zu Gandersheim de a. 1601. §. zum acht und dreyſſigſten. Idque repetitum eſt in den Land-Tags-Abſchied zu Wolffenb. de anno 1619. §. zum ſiebendreyſſigſten / hac tamen limitatione adjecta; modo extraneus non ſit aptior quam indigena *l.* 11. §. 1. *de mun. & bon. l.* 1. §. *penult. quod cujusque univerſ. nom.* vel (2) ex aliis circumſtantiis & juſtis cauſis extraneo prærogativa tribuatur Mynſing. *cent.* 4. *obſ.* 30. Covar. *quæſt. pract. cap.* 25. *&* Dnus Præſes *in ſuis præl. publ. ad l.* 11. *Cod. de Epiſ. & Cler.* Rationes ob quas indigenis beneficium prælationis conceditur ſunt præcipue ſequentes (1) indigenæ excitantur ad virtutis ſtudium eo diligentius & ſolidius excolendum (2) præſumuntur pro naturali amore ſuo fidelius & melius velle Patriæ quam extranei. (3) quia onera publ. ſuſtinent, commoda etiam publica æquum eſt ut ſentiant *l.* 10. *ff. de Reg. Jur.* (4) præſumuntur Jura reipubl. melius callere quam extranei: quibus accedit (5) quod Lipſius *lib.* 3. *polit. cap.* 4. dicat, ſignum eſſe Reipl. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini: Hinc tantum natione *Germanus* Imperator eligitur Cuſpin. *in Ottone III.* Buxtorff. *ad Aur. Bull. concluſ.* 31. Reinkinck *de Regim. ſecul.* 1. *claſſ.* 3. *cap.* 4. (2) Conſiliarii intimi judiciique Cæſareo aulici, aliique imperii officiales conſtituuntur ex natione Germanica *Capitul. Carol. V. de anno* 1519. §. 13. Quapropter contrarium fuiſſe factum proteſtantes conqueruntur apud Hordlederum *lib.* 1. *de cauſ. belli Germ. cap.* 6 *p.* 48. Adeoque in Ferd. III. Imperatoris Reichs-Hoff-Rahts-Ordnung de anno 1654. *tit.* 1. conſtitutio de ſenatu ex natione Germanica eligendo confirmata eſt, idem extat in *capitul.*

Digitized by Google

pitul. Ferd. IV. de ao. 1653. Leopold. *de ao.*1658. §. 40. Adſeſſores etiam Cameræ originarii ex qualibet provincia ſive Circulo & ex natione Germanica aſſumi debent & extraneis præferri *Ord. Cam. part.* 1. *tit.* 3. §. 1. *&* 2. *& tit.* 4. §. 5. Hæc tamen omnia intelligenda, ſi indigenæ ſunt idonei *arg. l.* 11. §. 1. *ff. de muner. & honor.* inde ſi ſtatutum alicubi exſtat, quod in civitatis Syndicum nemo eligatur, qui ſit extraneus, Doctores cum hoc temperamento illud intelligunt, ſi non magis ſit idoneus extraneus: nam munera, quæ magnam dexteritatem & diligentiam requirunt, conferri debent iis, qui magis idonei vid. Rauchbar *part.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 3. *& ſeqq.* ſatis pro noſtro inſtituto de perſonis.

TH. XVI.

De officiis ipſis & quænam conjungi poſſint inſtituti noſtri ratio nunc videtur exigere ut plenius agatur. Et primum quidem hic explicandum venit, quid in LL. officium dicatur, & nihil aliud videtur eſſe quam munus publicum plerumque cum honore conjunctum, inde etiam honor appellari ſolet *l.* 14. *ff. de mun. & hon.* & quia officia majora ad Reipubl. adminiſtrationem præcipue ſpectant, in jure officium etiam deſcribitur quod ſit *adminiſtratio Reip. cum gradu dignitatis dict. l.* 14. quales apud Romanos erant Decurionatus, Duum Viratus, Ædilitas, munus defenſoris Civitatis vel Judiciis *l.* 18. §. *defenſores* 10. *&* 14. *ff. de mun. & hon.* Eſt autem officium publ. vel cum honore & dignitate conjunctum, & in ſpecie dicitur honor *d. l.* 14. vel ſine honore ut officium tutelæ & Curatelæ. Quia vero in omni Repl. duo tempora conſideranda veniunt *Belli* & *Pacis*: inde officia omnia vel ſpectant ad Bellum vel ad Pacem vel ad bellum &

Digitized by Google

pacem ſimul, inde alia officia ſunt militaria alia civilia alia quaſi mixta h. e. quæ utroque tempore uſum præſtant, & adhæc poſteriora referimus officia Medicorum, ſacerdotum, chirurchorum: nam ſi tempore belli hæ perſonæ in uſum adhibentur, ſolent appellari Feld Medici, Feld-Predigers/ Feld-Barbierers. Militaria iterum ſunt vel majora, vel minora, majora ſunt varia, ut jam attingamus ſolum ea, quorum fit mentio in der Reuterbeſtallung/ & ſunt Feld-Marſchall/ Obriſten/ Rittmeiſter/ Reuter Beſtallung zu Speyer de A. 1570. art. 39. 40. 42. Eo etiam in noſtro Imperio præcipue pertinet der Krâyſ. Obriſter *Receſſ. Imperii de A.* 1555. §. 56. & 58. quo etiam ſpectat Conſilium Bellicum der gantze Krieges-Raht/ die Krieges Commiſſarii, General auditeurs, Kriegs Secretarii, Proviant-Verwalter.

Th. XVII.

Civilia officia dividuntur, in ordinaria & extra ordinaria: hæc ſunt, quæ neceſſitate & utilitate publica ita exigente extra ordinem conſtituuntur, apud Romanos olim erat Dictatura: hodie forſan ex eorum numero ſunt die Extraordinar Ambaſſadeurs, imo officia quæ tempore peſtis conſtituuntur. Ordinaria dividuntur in Eccleſiaſtica & ſecularia, illa ſunt officia Epiſcoporũ Decanatus, Præpoſitura, Prioratus; munera Presbyterorũ Diaconorum, ſacerdotum & ſimilium, uno verbo eo etiam pertinet Conſilium Eccleſiaſticũ, quod Conſiſtorium vocatur, ubi ſolent eſſe Præſides, Directores, Conſiliarii, die Conſiſtorial Kirchen-Râhte. Hæc nimirũ ſecularia vel ſunt extra judicialia vel judicialia, poſteriora iterum vel ad Juriſdictionem contentioſam pertinent, uti officiũ Cancellariatus, vice Cancellariatus Judicũ, Adſeſ-

ſorum

Digitized by Google

ſorum, Advocatorum, Procuratorum, eoq; etiam pertinent die actuarii Gerichts-Halter Gerichts-Schreiber Gerichts-Secretarien Protonotarii und derſelben Adjuncti Richt. *part.* 3. *deciſ.* 127. *num.* 25. vel ſpectant Jurisdictionem voluntariam & eo magna ex parte pertinet officium Notariatus. Ad priora & extra judicialia referendum, eſt Conſilium Ducum ac Principum intimum der Geheimte Raht: & qui ei inſerviunt, utietiam ſunt die Geheimten Secretarii. Ærarium principis & qui ei præſunt idve adminiſtrant die Cammer-Præſidenten / Groß-Voigte Cammer-Herrn Cammer-Rähte Cammer-Meiſter Cämmerers. Neq; etiam abhiſce extra judicialibus officiis excluduntur, qui res aulæ procurant; die Ober- u. Hoff-Marſchälcke / die Ober- u. Hof-ſchencken / Cammer-Junckern / Hof-Junckern / Küchmeiſter / nec illa munera ſilentio prætereunda ſunt, quæ ſpectant ad Curam venationis & ſylvarum Ober-Jägermeiſter / Ober-Förſter vel ad res metallicas Berg-Haubtleute / Berg-Rähte / die Zehntners / vel ad rem monetariam, Müntz-Rähte / Guardien / Müntz-Meiſters.

Th. XVIII.

Demum extra judicialibus officiis accenſendi ſunt officiales ſtatuum Provincialium, vti ſunt die Land- und Schatz-Rähte / die Land-Syndici und Land-Rent-Meiſters / quin etiam ex officialium numero ſunt hodierni civitatum ſenatores, quorum munus alteri præſtat vel ratione ſenii vel officii certi, quod obit pro utilitate Civitatis: Inde etiam diverſa ſortiuntur nomina uti Cammer-Herrn / Policey-Herrn / Mühln-Müntz-Steur-Schoß-Stall-Herrn / totum autem Regimen ſenatorium ſeu Magiſtratus hodierni diſtingui ſolent in Conſules & ſenatores in ſpecie ſic dictos. Conſu

lum-

lum numerus variat pro urbium magnitudine, in majoribus quatuor, alibi tres: in minoribus duo leguntur & ſufficiunt. Ex conſulibus etiam unus per certum tempus regimini præeſt, propterea dictus Verbi potens ſive Conſul Regens der Gebietende oder Worthaltende Burgermeiſter / ad hunc Cives cauſas deferunt, is conſultanda proponit, vota deliberantium colligit, Decreta publicat, judicia decernit & juſſibus ſuis regit Hahnius *in obſ. ſuis ad tit. ff. de albo ſcrib.* Jung. Mæv. ad jus Lübec. *libr.* 1. *tit.* 1. *art. IV. n.* 33. *& art. XI. n.* 68. Ex hiſce autem apparet, quod Conſules & ſenatores etiam circa cauſas judiciales ſoleant eſſe occupati, adeoq; forſan eorum officia recte mixta appellantur h. e. partim ad extra judicialia partim ad negotia judicialia ſpectant; Inde eorum etiam nomine in Facultatibus juridicis ſententiæ concipiuntur v. g. In Sachen N. Klägern an einen entgegen und wider N. Beklagten um andern Theil erkennen wir BurgerMeiſter u. Raht der Stadt N. auf vorgehabten Raht der Rechts-Gelahrten vor Recht. Senatorio ordini ſolet interdum a ſuperiori adjungi officialis quidam, qui audit der Gerichts-Schultze. Ad munera porro mixta referuntur officia præfectuum der Ober- und Ambt-Leute Ambt-Schöſſer / quorum officium tam in extrajudicialibus quam judicialibus verſatur; Neque ab hinc removenda ſunt Profeſſorum munera & corpus Academicum, quia eſt quaſi mater & ſeminarium omnium officiorum tam Eccleſiaſticorum quam politicorum. Accuratius quidem hæc omnia tractanda fuiſſent, ſi nobis eſſet propoſitum de officiis hic agere, verum quia noſtrum propoſitum ſolum fuit eum in finem varia officiorum genera enumerando præmittere, ut

eo

Digitized by Google

eo facilius, quatenus conjungi poſſint necne apparere queat; Ergo inſtitutum noſtrum nunc exigit, ut ad ipſorum officiorum & munerum conjunctionem ſine longiori mora progrediamur.

TH. XIIX.

Quamvis igitur juxta ſcriptores Politicos cujuslibet Reipl. utilitas exigat, ut, niſi extrema aliud jubeat neceſſitas, munera publica diverſa diverſis perſonis committenda ſint, tum quod hac ratione ſingula optime expediri poſſint; ſecus quam fieri ſolet, ſi uni plura & diverſa veniant agenda, Tum quod hoc Juſtitiæ magis conſentaneum ſit, utpote quæ exigat, ut æqualia æqualibus tribuantur, quod non fit, quando ſpretis aliis honore dignis in paucos plura cumulantur. Tum quod Reipublicæ maxime interſit, ut officia cum potentia conjuncta ſejungantur: ne ſcil. uti eleganter loquitur B. Herm. Conringius *in exercit. Jurispubl. 7. de Conſtit. Epiſc. th.* 90. a conjuncta inſigni potentia Reipl. periculum creetur, vel ſaltem illi, in quos ejusmodi Magiſtratus ſunt cumulati, ſummæ poteſtati Civili minus juſto obtemperent. Verum tamen plures dignitates, honores vel officia & ſic vicem plurium ſuſtinere quem poſſe uno eodemque tempore, Doctores communiter concludunt, modo (1) officia non habeant annexam adminiſtrationem, uti ſunt dignitates honorariæ die Chur- und Fürſtliche Rähte von haus aus/ vel (2) licet unum officium annexam adminiſtrationem habeat, alterum tamen non; vel licet (3) omnia cum adminiſtratione cunjungantur, diverſis tamen temporibus commode expediri poſſint *argum. text. in cap. penult.* §. *porro de elect. in Sexto Gloſſa in cap.* 3. *in verb. vices de probat.* Felinus *ibid. num.* 10. *argum.*

l. ſi Conſul. ff. de adopt. Gloſſ. & Bart. *ibid. num.* 1. Johan. de Plat. *ad l.* 3. *Cod. de dignit. num.* 2. *& ad l. bis quidem* 5. *Cod. qui milit. poſſ. vel non lib.* 2. *tit.* 34. *num.* 1. *&* 2. Andreas Gailius *lib.* 1. *obſ.* 44. *num.* 9. *&* 10. Carpz. *part.* 2. *dec.* 194. Præſertim ſi alicujus Viri inſignia merita, vel ſingularis in agendo dexteritas conjunctionem plurium officiorum exigat Joh. de Plat. ad *d. l.* 5. *Cod. qui milit. poſſ. num.* 1. Vel ſi officia inter ſe cohærent, & quandam in ſe connexitatem continent, uti eſſe procuratorem & Advocatum in eodem Judicio Gail. *d. obſ. n.* 8. Nam quod dependentiam & connexitatem habet, judicandum eſt ut unum *cap. cum ſingula* 32 *in verb. niſi forſan unus ex eis ab alio dependeat, de præbend. in Sexto* Joh. de Plat. *dict. loc. num.* 5. vel ſi quis ex cauſa occurrentis neceſſitatis in eodem loco duo gerat officia Joh. de Plat. *ad dict. l.* 5. *num.* 2. *in fin.* qualis neceſſitas adeſt in parvis civitatibus. In iis enim neceſſe eſt, cogere in paucos multos Magiſtratus Ariſt. *lib.* 4. *Polit. cap.* 15. *p.* 282. *edit. Conring.* Ubi ita concludit ſecundum latinam verſionem *quapropter nihil vetat multas curas ſimul jubere:* modo ejusmodi officia ſe invicem non impediant, ſed eandem pene vel Curam vel prudentiam requirant Ariſt. *d. loc. pag.* 283. Piccart. *ibi ad verba* Εἂν ἂν ἔχομεν: licet diverſis in locis peragenda ſint, modo non ſemper & quovis momento præſentiam gerentis requirant; Verum hæc quæſtio paulo eſt ſpiſſior; Numne aliquis apud diverſos Principes vel Status Imperii officia plura ſuſcipere & peculiaribus juramentis ſe obſtringere poſſit? Et affirmativam demonſtrat experientia, modo hoc ipſi Principes, permittant, nec publicum bonum inde jacturam aut detrimentum patiatur, alias ejusmodi officiorum con-

conjunctio non eſt toleranda; Inde etiam officiales Imperatorum nulli alii juramento obſtricti eſſe vel alibi officio perfungi debent. capit. Leopoldi Imperatoris §. Wir wollen auch künftig 40. in verb. mit abſonderlichen Dienſt-Pflichten und niemand dan uns und ſonſten keinen Chur-Fürſten oder Standt des Reichs noch ausländiſchen Potentaten mit abſonderlichen Dienſt-Pflichten verwandt ſein. Jure etiam communi hoc prohibitum eſt *l. 50. C. de Dec.* ne publica vacillet utilitas. *l. pen. C. de ſuſcept. præpoſ. & arc.* iisque in mentem ſervatoris effatum venire debet. Neminem poſſe ſervire duobus dominis *Matth. VI.* v. 33. jung. Mæv. *ad Jus Lubec. libr. 1. tit. 1. art. 1. n. 7. & aliquot ſeqq.*

TH. XIX.

Hactenus igitur dicta ſi ad Præſentem Imperii faciem accommodemus, deprehendimus (1) cumulationem in ipſis Epiſcopatibus adeoque ſacris officiis, quin præter Epiſcopatus varias Abbatias nonnullos ſibi accumulare. Et quidem ejusmodi ſacrorum officiorum cumulatio hactenus tacita imperii conniventia corroborata eſt. Accedit quod Epiſcopatus non ſolum inter ſe invicem, verum etiam cum cura & adminiſtratione rerum temporalium in Germania conjungantur, quippe omnes Epiſcopi hodie Principum munus obeunt, adeoque in Imperio noſtro non tantum ſacra inter ſe officia, verum etiam temporalia munera cum ſacris conjunguntur & cumulantur. Vtrum autem hoc Germaniæ expediat, & ſacris literis ſit conforme videat, cui volupe eſt B. Conring. late hac de re *in exercit. de Conſtit. Epiſc. Germ. th. 91.* differentem, ubi dicit, ipſi ἀδύνατον videri, ut rite faciat officium ſuum Epiſcopus, qui cura & adminiſtratione rerum tempo-

 rali-

Digitized by Google

ralium ſit diſtrictus. Idque demonſtrat per ſacram ſcripturam *Epiſt. Paul.* II. *ad Timoth.* II. *in verbis. Nemo, qui militat, implicitur hujus vitæ negotiis.* Cui adſtipulantur Canones, qui Apoſtolorum nomen præ ſe ferunt, licet ſerius ſint conſcripti: *Can.* 6*ti.* Verba hæc ſunt. *Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus ſeculares Curas non ſuſcipito, alioquin deponito.* Jungat. *Can.* 80. *Dicimus, quod non oporteat Epiſcopum aut Presbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immittere, ſed vacare & commodum exhibere uſibus eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire.* Licet forſan Paſchalis II. Pontificis non fuerit eadem mens & ſententia, eundem tamen in ſenſum videtur locutus in epiſt. ad Henricum V. Imperatorem conſcripta, quæ exſtat apud Conring. alleg. loc. Idem ſenſiſſe Henricum V. Fridericum I. Ottonem IV. Fridericum II. & Sigismundum Imperatores idem Conring. d. loc. teſtatur. Et quidem quoad Sigismundum Imperatorem hoc apparet aus der geiſtlichen Reformation, quæ apud Goldaſtum *lib.* I. *Conſt. Imperial.* exſtat Germanice verſa per Fridericum von Landes Korn Sigismundi Conſiliarium *cap.* 9. & 12. Poſthæc vero tempora forſan nullus Cæſarum temporalia Epiſcoporum Jura in dubium vocavit. Quod autem viceverſa ſecularibus Principibus, ſalute ita publ. exigente, ArchiEpiſcopatus, Epiſcopatus & Abbatiæ in Imperio cedi, & in Ducatus ac Principatus adeoque bona temporalia converti poſſint, teſtatur Inſtrum. Pacis Oſnab. tum quoad Archi-Epiſcopatum Bremenſem, Epiſcopatum Caminenſem & Verdenſem Regno Sueciæ; tum quoad Archi-Epiſcopatum Magdeburgenſem & Epiſcopatum Halberſtadienſem & Mindenſem

denſem, Electori Brandenburgico, ejusque ſucceſſoribus tum quoad Abbatiam Hirsfeldenſem Domui Casſellanæ ceſſam. *art.* 10. §. 7. *art.* 11. §. 1. 4. 6. *art.* 15. §. 2. Quomodo porro alternativa ſucceſſio in Epiſcopatum Oſnabrug. domui Ducali Brunſ. & Luneb. in eodem Pacis Inſtrumento fuerit conjuncta, adeo ut etiam Principes regentes, ordine eos tangente, ad ſucceſſionem admittendi ſint, apparet ex *art.* 13. §. 1. 5. *&* 6.

Th. XX.

Verum inſtitutum noſtrum exigit, ut ad officiorum quæ non totum Imperium concernunt, conjunctionem accedamus; quo pertinet quod aliquis poſſit eſſe Præſes in pluribus & diverſis Collegiis v. g. in Conſilio Principis Intimo, Bellico & Cancellaria, uti vocatur, nam hæc Collegia non eandem quidem, attamen non plane abſimilem curam & prudentiam requirunt, multo magis poſſunt nonnulli evehi ad Conſiliariatus dignitatem in diverſis Collegiis, ita ut evadant Conſiliarii intimi & ſimul in Cancellaria juſtitiam adminiſtrent, Geheimbte und zugleich Hoff- und Juſtitien-Rähte. Huc etiam ſpectat, quod alii non tantum ad Principis intima conſilia, verum etiam ſimul ad ærarium adminiſtrandum admittantur & ſolent appellari die Geheimbden Cammer-Rähte; Idem obtinet in officiis Judicialibus, nam Conſiliariatus dignitas ſæpius cum officio Aſſeſſoratus conjungi conſuevit, ſic qui Conſiliariatus dignitate in Cancellariis gaudent, idem munus ſimul in Conſiſtoriis ſæpius obeunt: Pariter Profeſſioni Juris adjungi interdum conſuevit Conſiliariatus & Aſſeſſoratus dignitas. Nam omnia hæc Collegia eundem ferme finem juſtitiæ adminiſtrationem propoſitam habent,

Digitized by Google

bent, paremq; curam exigunt, atque adeo non incommode conjungi poſſunt, quin profeſſoria dignitas conjungitur interdum cum Præpoſitura & Abbatia. Idem dicendum eſt de officialibus ſtatuum Provincialium, ita ex juſta cauſa officium ſyndicatus & Præfecturæ ærarii Provincialis der Land-Syndicat und Rent-Meiſter-Dienſt / interdum in una eademque perſona cumulatur. Nam ſibi mutuo non repugnant ſed ſe invicem compatiuntur; ſic etiam in Civitatibus videmus in una eademque perſona conjungi Conſularem & ſyndicatus dignitatem, quia eandem curam utrumque officium exigit. In Camera Spirenſi aliquem ſimul Procuratoris & Advocati officio perfungi poſſe, res eſt dubio carens. Gail. *lib.* 1. *Obſerv.* 44. *num.* 4. In hiſce Ducatibus eædem perſonæ gaudent Advocatorum & Procuratorum officiis in Dicaſteriis Aulicis in den Hofgerichten / quæ in Cancellariis: quia ſibi hæc officia non repugnant ſed ſimili cura & prudentia indigent, imo interdum tria officia teſte experientia conjunguntur, modo unius adminiſtratio non impediat alterius adminiſtrationem. Quod in una eademque perſona tres tutelæ vel Curatelæ conjungi queant ex ipſis Inſtit. notum. §. 5. *Inſtit. de excuſ. tut. vel Curat. l.* 2. §. *ult. l.* 3. *l.* 4. *ff. eod. l. un. Cod. qui num. tut.* Verum hiſce exemplis concluſionem noſtram plures dignitates, honores, officia & munera in una eademque perſona conjungi poſſe, ſic ſatis clare demonſtratam arbitramur. Finiamus ergo diſcurſum de officiis ipſis & in quibus eorum conjunctio locum habeat hac quaſi univerſali propoſitione. Quæcunque dignitates, honores, officia, munera ſibi mutuo non repugnant, & unam ferme eandemque prudentiam requi-

quirunt, diverſisque temporibus commode expediuntur, adeoque vel ex Lege vel ſtatuto, vel permiſſu ſuperioris uni eidemque perſonæ ſimul deferuntur, illa omnia poſſunt conjungi ac cumulari *arg. l.* 6. *Cod. de execut. l.* 13. *Cod. de dignit.* Joh. de Plat. *ad l.* 3. *Cod. de dignit. num.* 3. Cardinal. Tuſch. *lit. o concluſ.* 97. *num.* 10. 12. 14. 20. *& aliis* Auguſtus Berous *Conſil.* 7. *num.* 28. *vol.* 3. Riminaldus Jun. *Conſil.* 467. *num.* 80. Covarr. *tom.* 2. Variar. *reſol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. Andreas Gail. *lib.* 1. *obſ.* 44. *num.* 9. Perez. *ad tit. Cod. de prox. ſacr. ſcrin. num.* 5. Brunn. *ibid.* Felin. *ad cap.* 3. *num.* 10. *de prob.*

Th. XXI.

Reſtat ut paucis addamus officia quæ conjunctionem non admittant. Quorumcunque igitur officiorum functiones ſeſe mutuo impediunt, illæ uni non ſunt committenda. *l.* 1. *§. final. ff. de Colleg. l. Comperimus. de prox. ſacr. ſcrin. l.* 17. *§.* 3. *ff. ad Municipal. cap. Cum non ignores* 15. *X. de præb. & dignit. cap.* 32. *de præb. & dignit. in 6to.* Tartagnus *in l. apud Iulian. §. tempeſtivo num.* 4. *ff. ad SConſ. Trebell.* Matth. Steph. *de Juriſd. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 6. *in fin.* Qualia officia ſunt, quæ curam animarum conjunctam habent, uti officia ſacerdotum, hæc enim, niſi Eccleſiæ duæ vel plures ſunt unitæ; ubi primaria & dignior mater; reliqueque veræ filiæ appellantur, die Filial. Carpzov. *in Juriſprud. Conſiſt. lib.* 2. *def.* 343. *n.* 1. non ſunt conjungenda, quia ab eodem uno eodemque tempore adminiſtrari nequeunt, cum idem non poſſit eſſe uno eodemq; tempore in diverſis locis. Andreas Gail. *dict. obſ.* 44. *n.* 11. Card. Tuſch. *dict. concl.* 97. *num.* 1. *&* 9. ita etiam volunt, quod

in

Digitized by Google

in Jurisdictione contentioſa non poſſit quis vices plurium in uno eodemque judicio ſuſtinere, utpote nemo poteſt eſſe ſimul Aſſeſſor & advocatus, Judex & teſtis vel Judex & Notarius in una eademque cauſa. *arg. l. 5. ff. de offic. Aſſeſſ.* Card. Tuſc. *dict. loc. n.* 9. Gail. *d. obſ.* 44. *n.* 11. *in fin.* & ideo etiam officiorum conjunctio non eſt ſemper concedenda, ne, dum quis ad utrumque feſtinat, neutrum bené peragat, & ne plura comprehendendo officia, cæterorum ſtipendia unus occupet. Joh. de Plat. *ad l. 7. Cod. de prox. ſacr. ſcrin. n.* 1. Inde etiam unus non facile ad duas præbendas præſertim in majoribus Canonicorum Collegiis admittitur. Joh. de Plat. *ad l. 7. Cod. de prox. ſacr. ſcrin. num.* 1. & *ad l. 5. Cod. qui milit. poſſ. vel non. num.* 2. & nemo facile in duorum artificum Collegiis uno eodemque tempore eſſe poteſt, quia hoc lites & confuſionem parere ſolet *l.* 1. *§. final. ff. de Collegiis.* Brunnem. *ibid. n.* 4. Et ſic ſatis de officiis aliisque negotiis, quæ conjungi poſſunt nec ne, a nobis dictum ſit.

TH. XXII.

Ad modum officia deferendi progredior, nam eadem in conjunctione officior. obſervanda erunt. Conferuntur itaque & conjunguntur officia vel *Electione* idque vel *ſuffragiis* vel *Sorte* Ariſtoteles *libr.* 4. *Pol. c.* 15. vel, licet rarius, *Succeſſione* vel demum in nonnullis locis *Emtione Venditione.* Et 1. quidem agendum eſt de *electione.* Illa enim ſi recte inſtituitur, multum profecto ſalutis Reipubl. affert, cum reſpiciat perſonæ qualitatem, virtutes & merita, ita, ut digniorem præferat indigniori, idque Galba apud Tacitum *lib.* 1. *hiſt. cap.* 16. *num.* 2. præclare innuit his verbis: *Optimum quemque electio inveniet: nam generari & naſci fortuitum eſt, neq; ultra æſtimatur.*

matur. Nec ea ſolum in ſecularibus, iisque vel Militaribus vel Civilibus, verum etiam Eccleſiaſticis locum habet. Ut a civilibus exordiamur, quando Imperator abſens eſt, vel aliis negotiis impeditus, quominus ipſe Comitiis præ eſſe queat, ſubſtituit electione in ſuum locum vel unum Vicarium, vel interdum plures, qui cum ſtatibus negotia pertractent & Receſſus condant. Receſſ. Imperii zu Augſpurg de anno 1525. Receſſ. Imperii zu Speyer anno 1526. in quo Vicarii vocantur die Verordnete und Gewalthabende Stadthalter im Reich. Pariter in judicio Cæſareo Aulico & Camera Spirenſi Judex, præſes, & omnes Aſſeſſores electione conſtituuntur Ordnung des Regiments zu Wormbs de anno 1511. §. 1. Cammerger. Ordn. *1555. part.* 1. *tit.* 9. Ex militaribus officiis ſufficiet adducere illuſtrem illam Ducum Circulorum ſive Capitaneorum ſpartam die Kreyß-Obriſten / quippe ea itidem electione defertur Receſſ. Imperii zu Augſpurg de anno 1555. §. 57. 58. & 59. & de anno 1559. §. 47. Quod vero officia eccleſiaſtica electione conferantur, apparet abunde ex Inſtrumento pacis Osnabrugenſis *art.* 5. §. 16. Ubi in omnibus Archiepiſcopatibus Epiſcopatibus & reliquis fundationibus immediatis jura eligendi & poſtulandi juxta cujusque loci conſuetudines, & ſtatuta antiqua, illibata permanſerunt, quatenus Imperii conſtitutionibus, Transactioni Paſſavienſi, Paci Religioſæ & inprimis huic transactioni h. e. Paci Osnabrugenſi ſunt conformia, & intuitu ArchiEpiſcopatuum & Epiſcopatuum Auguſt. Confeſſioni addictis permanentium ea nihil in ſe contineant illi confeſſioni adverſum, jungantur reliqua §. 16. verba.

Digitized by Google

Th. XXIII.

Electio autem tam in uno officio quam in plurium conjunctione fit vel ab uno uti in Monarchia; vel a pluribus iisque virtuoſis uti in Ariſtocratia; vel ab omnibus & integro populo & hoc obtinet in Statu Politico. Conſuetudo tamen ubique eſt ſervanda, nam ut ſuetum eſt eligi, ita porro electio fiat, ne novitas ſuſpectam aut nullam eam faciat. Regulariter autem in electione ſequentia requiſita obſervanda ſunt. (1) ut electio ſit libera, Germanice daß es eine freye Wahl ſein möge/ & exinde Jus in omnibus electionibus requirit, quod libere & ſine aliquo metu fieri debeat, *cap. Cum. terra* 14. *X. de Elect. cap. ubi periculum* 3. §. *cæterum: de Electionibus in 6to.* Ita, ut legendi impedita libertate electio annullanda ſit Menoch. *Conſ.* 782. *num.* 17. Libertas autem illa iterum eſt quaſi duplex, aut ſolum eligentium placitum reſpicit, ita, ut quivis legi poſſit, qui placeat & quacunque ratione, vel libera voluntas alicui competit ut Viro bono, ita, ut non niſi qui idoneus ſit & legitimo modo eligatur. Gloſſ. & Bart. *in l. cum quidam ff. de Legat.* 1. Modeſt. Piſt. *Conſ.* 44. *num.* 37. Prior non eſt toleranda, nam eſt licentia, non enim poteſt cenſeri libertas, quæ contra Leges & Rempubl. eſt. Heig. *in* §. *libertas. Inſtit. de ſtatu Perſ.* Poſterior vero, quia Legibus, moribus & ſaluti publicæ eſt congrua, & ex honeſtate atque utilitate æſtimatur, obſervanda eſt, ne, ſi neglecta fuerit, electio nullitatis vitio laboret, *arg. L.* 5. *Cod. de Legib.* Huic autem libertati adverſari videtur, ſi eligendi actui interſint, qui ad dignitatem nominato, cognatione vel affinitate conjun-

junguntur, niſi forſan affinitas morte fuerit ſoluta; tum enim quoad hunc effectum definit Mevius *ad Jus Lubec. Tit.* 1. *art.* 7. *num.* 22. *&* 23. Quamvis autem Jure Civili Pater pro filio & viceverſa: Imo frater pro fratre in honorum petitione ſuffragium dare poſſit, quia non ut frater ſeu domeſtica perſona, ſed ut Decurio fert ſuffragium, & in officiis publicis non attendimus vinculum domeſticæ ſocietatis nec patriam poteſtatem *l.* 5. *&* 6. *ff. quod cujuscunque univ. nom.* Imo tertius electioni de ſe factæ ad pluralitatem votorum faciendam conſentire poteſt. *l.* 4. *ff. quod cujuscunque univerſ. nom. Cap.* 34. *X. de Elect.* Tuſch. *Concl.* 72. *lit. E. concl.* 138. *lit. B.* idque etiam in electione Imperatoris approbatum *Aur. Bull. c.* 2. *in fin. cap. Cum in Jure* 33. *X. de Elect.* Veruntamen hæc intelligenda ſunt niſi lex municipii vel perpetua conſuetudo prohibeat *l.* 6. *init. in fin. ff. quod cujuscunque univerſ. nom.* Qualis hodie conſuetudo multis in locis obtinet, ubi cognati in proximum conclave, quod vocatur die Hörkammer tamdiu ſecedere jubentur. Mevius ad *Jus Lubec. tit.* 1. *art.* 7. *num.* 8. *&* 9.

Th. XXIV.

Ad Electionem (2) requiritur, ut eam præcedat nominatio unius, duarum vel plurium perſonarum in locum vacantem, eaque iterum debet eſſe libera, Carpzov. *in Jurisprud. Eccleſ. lib.* 1. *def.* 24. *num.* 41. Quinam autem Jus nominandi habent, ea de re mores ſingulorum locorum attendendi. In officiis Eccleſiaſticis Patronus Jus nominandi habet, ille enim ſive etiam Magiſtratus loci, cui Jus Patronatus plerumque competit, vel unum vel plures Eccleſiæ ſive popu-

 lo,

lo, quia pars eſt Eccleſiæ, in ſuggeſtu ad videndum & audiendum ſiſtit *Novell.* 123. *cap.* 18. Rittersh. *ad Novell. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 36. *&* 37. Finkelt. *de Jure Patronat. cap.* 2. *num.* 13. Libera tamen nominatio ad idoneum ſubjectum eſt reſtricta. *Novell.* 6. *cap.* 1. *Novell.* 123. *cap.* 1. *&* *cap.* 12. *Canon. qui Epiſcopus. diſtinct.* 16. *cap. Cum in Cunctis* 7. *X. de Elect. cap. grave* 29. *X. de præbend.* Nam antequam ad electionem in delatione vel etiam in conjunctione officiorum progrediamur, ſemper prius penſitandum, utrum nominatio recte facta & an nominati idonei ſint, unde etiam ex primo nominatis non ſemper fit electio, quippe ſi primo nominati indigni reperiuntur, repudiari poſſunt. Reinkinck. *de Regim. Secul. & Eccleſ. lib.* 3. *claſſ.* 1. *cap.* 19. *num.* 62. Carpzov. *in Jurisprud. Conſiſt. lib.* 1. *def.* 35. *num.* 2. Mevius *dict. art.* 7. *num.* 14. *&* 15. Jure Civili, qui nominantur ad Magiſtratus electionem, tanquam fidejuſſores pro electis Reipubl. obſtringebantur *tot. tit. Cod. de peric. nominat. l.* 2. *Cod. quo quisque ordine conven.* Sed noſtris moribus, quibus nominatores non ſemper ſimul ſunt creatores ut olim. *l.* 2. §. 7. *ff. de adminiſt. rerum ad civit perti. l. ſi quis* 59. *Cod. de decur.* ei neceſſitati non ſubiiciuntur. Præterea notandum, quod facta nominatione, quemadmodum etiam alias in Jure, quandoque gratificationi locus detur. *l. ſi plura* 46. *ff. de Relig & ſumt. fun. l. ſi quis* 3. §. 4. *ff. ad Senatusconſ. ſyllan. l. ſi quis* 8. §. *ſi inter duos* 3. *ff. de Legat.* 11. Carpzov. *in Jurisprud. Conſiſt. lib.* 1. *def.* 26. *n.* 9.

Th. XXV.

TH. XXV.

Quando nominatio rite peracta eſt, eam (3) excipit Electio; ſed & illa variat: vel enim perſuffragia vel ſorte expeditur. Prior vel expreſſa, ubi quisque verbo ore prolato adſtipulatur; Aut ſeceſſu in partes, quod Romanis uſitatum erat; vel tacita, quæ Schedulis *cap.* 42. *X. de Elect. in verbis & in ſcriptis redacta*, aut calculis abſolvitur Mevius *dict. loc. num.* 18. inque electione & conjunctione officiorum majoritas ſuffragiorum eſt attendenda, quod enim Major Collegii pars fecit, id omnes feciſſe videntur. *l. quod major* 19. *ff. ad municipal. l.*160. *ff. de Reg. Jur. l.* 45. *Cod. de decur.* modo ſinguli, qui Jus eligendi habent, ſpecialiter ad eligendi actum citati fuerint *l.* 2. *Cod. de decur.* jungatur Mevius *part.* 4. *deciſ.* 201. In omnibus enim quæ a pluribus ut univerſis aguntur ſeu in actibus univerſitatis aut collegii pluralitas votorum ſpectatur *cap.* 1. *de his quæ fiunt. a majori part. cap. quapropter & auditis X. de Elect.* Jaſon. *in l. Hodie num.* 8. *de pact.* ubi autem depluralitate conſtat, non amplius, an plurium ſententia ſanior ſit, diſquirendum eſt; Etſi enim præſtaret ponderare ſententias & ſuffragia quam numerari Plin. *libr.* 2. *ep.* 12. quia tamen pro pluribus præſertim prudentioribus militat præſumtio, & facit ad vitandas contentiones, ad quas homines natura faciliores ſunt *l. item ſi unus* 17. §. *Principaliter. ff. de Recept. arbitris.* Præcipue ſi ambitione abripiantur, cum nemo a ſuo ſuffragio recedere velit, ne imprudentiæ argui videatur. Ant. Faber. *in Cod. lib.* 1. *tit.* 7. *def.* 2. Ideo introductum, ut plura vota pro ſanioribus habeantur.

TH. XXVI.

An vero majoritas ſuffragiorum hic intelligi debeat de majori parte habito reſpectu in idem ſuffragantium, an vero ratione totius Collegii, ancipitis disceptationis eſt. V. g. ex viginti quatuor perſonis Collegii decem affirmativæ, ſeptem negativæ, ſex inter utramque medii neutri adſtipulantur. Communis igitur Doctorum ſententia non numerum conſentientium judicat, ſed quid major pars totius collegii ſtatuerit, ideoque & ſi decem affirment, ſeptem vero ſaltem negent, quia tamen ſex reliqui decem illis quoque repugnant, eos pro majori numero non habendos. Mevius *ad Jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 1. *art.* 2. *num.* 35. *& multi ab eo allegati Doctores* Brunnem. *ad l.* 19. *ff. ad Municip. num.* 7. *&* 8. idque in electionibus fere receptum eſt. Indeliberationibus vero & votis Judicum attenditur numerus reſpectu ſuffragantium, & ſic ſi decem pro actore, ſex pro reo, & octo mediam ſententiam ſequerentur, primi illi decem prævalerent. Adjacet vero Electioni hæc conditio, ſi dignus, eſt eligendus ſo er würdig iſt/ omni enim electioni tacita in eſt hæc conditio, ſi idoneus adeſt, *l. ut gradatim* 11. §. 1. ibid. Bart. & Gothof. *ff. de mun. & hon.* Inde, antequam electio fiat, hoc curandum, ut magis idonei præferantur, *l. ad ſubeunda* 46. *Cod. de decur. l. un. Cod. de pot. nom. Can. licet Cauſ.* 8. *quæſt.* 1. *cap. Conſtitutis* 2. *X. de appellat. & ibi* Pannormit. qui dicit, peccare eligentes minus idoneos. Poſtquam autem electio rite facta, ceſſat ea quæſtio, an aliquis electo magis idoneus adſit ſatisfecere enim officio eligentes, quod idoneum elegerint, & juſta eſt electio, etſi alius magis forte aptus ad-

Digitized by Google

adeſſet; ne iſta perpetuo, incerto eventu, & periculoſe pendeat Bart. *in l. quidam ff. de legatis* 1. Zang. *in cap. Conſt. num.* 4. Modeſt. Piſt. *Conſil.* 44. *num.* 82. *& multis ſequentibus vol.* 2.

Th. XXVII.

Quod electionem attinet, quæ per ſortem fit, licet Reipubl. pernitioſa videatur, cum cæca ſors tam idoneis quam in idoneis ſæpius Reipubl. gubernacula tribuat, Tacit. *lib.* 13. *Annal.* quia tamen aliquid poteſt eſſe ſecundum quid utile & in utile habito reſpectu ad has vel illas circumſtantias; ſors non in totum eſt improbanda, ſed in nonnullis caſibus admittenda, ſi ſcil. adſint æquales, & alter alteri absque præjudicio non poſſit præferri, vel ſi adſit paritas votorum, videtur res ſorti tum committenda, ejusque beneficio decidenda. *l. Cum ambo* 14. *ff. de Jud. l. general.* 24. *§. quid ergo* 17. *in fin. de fideicommiſſ. libert. §. optionis* 23. *inſtit. de Legatis Novell.* 162. *cap.* 3. *in fin.* Ita Legatos ſorte electos eſſe legitur apud Cornel. Tacit. *lib.* 4. *hiſt. cap.* 8. *num.* 1. Et Judices aliquando apud Romanos ſorte electi ſunt, de quibus hæc phraſis orta eſt, ſortiri judicem *l.* 8. *Cod. de Jud. & Cælicol. Novell.* 96. *cap.* 2. *in princip. & §.* 3. *l.* 17. *§. ult. ff. ad L. Jul. de adult.* Gregor. Toloſanus *in Syntag. Jur. univer. lib.* 47. *cap.* 23. *num.* 6. qui hunc ſortitionis modum late pertractat.

Th. XXVIII.

Electione rite facta, ſi ei electus conſentiat in temporalibus, licet etiam officia conjungantur, functio Jure Civili ſtatim a facta nominatione ſive electione, eaque ab electo probata incipit, quamvis corfirmatio

tio ſuperioris nondum fuerit ſubſecuta *l.* 59. *Cod. de decur.* Brunnem. *ad illam l. n.* 37. *&* 38. moribus tamen tempus receptionis & juramenti præſtiti attendi ſolet; Verum in electione Epiſcopi accedat confirmatio & conſecratio neceſſe eſt. *cap. poſtquam* 13. *cap. qualiter* 17. *& cap. nihil eſt* 44. *X. de Elect.* Nam ſpirituale quaſi eſt fœdus conjugii quod inter Epiſcopum & Eccleſiam contrahitur; Quod intelligitur in Electione initiatum, in confirmatione ratum, in conſecratione conſummatum. Inde ſi Epiſcopus ante confirmationem ſe adminiſtrationi immiſcet, non tantum ſpe confirmationis verum etiam omni Jure per electionem quæſito privatur. *cap. qualiter* 17. *X. de elect. & cap. avaritia eod. tit. in 6to.* Quodſi vero electus vel unum vel plura officia delata ſuſcipere detrectat, tum vel juſtas excuſandi cauſas habet, iisque audiendus eſt, modo ſimul ab electione appellaverit, & quidem toties appellandum, quoties eligitur. Scaccia *de appell. quæſt.* 17. *limit.* 33. *num.* 2. Brunnem. *ad l.* 1. *ff. de vacat. & excuſ. mun. n.* 2. *&* 3. excepta tutela & cura, ubi hoc non eſt neceſſarium. Sin vero excuſationum cauſæ deſunt, aut non ſunt ſufficientes, ad delata officia licet plura ſint, ſuſcipienda etiam invitus cogi poteſt *l. ſi quos* 9. *ff. de mun. & bon. l.* 2. *& tot. tit. ff. de vacat. & excuſ. num.* Nam inviti & non ambientes ſecundum doctrinam politicorum in Rempubl. collocandi. Solet etiam detrectatoribus munerum dictari vel amiſſio habitationis in urbe, quæ tamen a relegatione ſeu exilio diſtat; Huic enim obnoxiis in civitatem venire non eſt permiſſum *l. relegati in fin. ff. de pœnis.* Sed habitatione excluſis hoſpitii & commorandi jura non ſunt denegata; Vel mulcta; vel car-

Digitized by Google

carceris pœna; imo etiam reſtitutione damni & ſumtuum pro ipſis compellendis factorum *l.* 20. *l. quamvis* 51. *Cod. de decur.* Vivius *deciſ.* 144. *num.* 1. *& ſeqq.* Mævius *ad Jus Lubec. lib.* 1. *art.* 6. *num.* 25. *usque ad art.* 35. Ab hac tamen neceſſitate excipiuntur (I) qui ad alia Reip. munia vocati ſunt, nec cives effecti, quales ſunt Syndici, Phyſici, Secretarii civitatis; Ceſſat enim in iſtis obligatio univerſalis, quæ intercedit inter Rempubl. & cives ſive etiam incolas Bart. *in tract. de repreſſ. quæſt.* 5. niſi forſan ſint originarii illius civitatis, in qua iſtis officiis funguntur. Tum enim obligationi locus eſt. Hahn. *in obſ. ad Weſenb. tit. de decur. num.* 2.

Th. XXIX.

(II) Modus conferendi officia eſt ſucceſſio, ad quam referimus ſumma illa Imperii officia, quæ in th. 6. ſunt recenſita. Et ejusdem videntur eſſe naturæ, quibus gaudent ſubofficiales regis Bohemiæ & Electorum. Et quidem Bohemus vicarium habet Pincernam de Limburg, Bavarus Dapiferum de Walburg, Saxo Mareſchallum de Papenheim, Brandenburgicus Comitem de Hohenzollern, Palatinus Comitem de Sintzendorf, Severin de Monzambano *de Stat. Imper. German. cap.* 4. §. 7. *in fin.* & ni fallimur, eo etiam pertinet generale illud totius Imperii Poſtæ officium, das General Reichs-Poſtmeiſter Ambt/ quo quaſi feudo quodam Imperator in veſtivit. Comitem de Taxis vel Taſſis una cum ſubſecuturis hæredibus Ludov. ab Hornigk. *de Regal. Poſt. jur. c.* 6. *num.* 23. vid. Capitul. Leopold. Imperat. §. 35. *in verbis.* Inſonderheit der darmit belehnte *General.* Poſtmeiſter. Unde & hæreditarii Generales Poſtæ Præfecti. Erb-

Digitized by Google

General-Poſtmeiſter/ & in Gallia, *grands Maiſtres des poſtes* appellari conſueverunt. Simile quid circa jus Poſtæ & ſummum illius juris in hiſce Ducatibus officium hodie obſervatur.

Th. XXX.

Sequitur (III) modus conferendi officia, qui eſt in nonnullis locis emtio venditio, eaque in Gallia fuit recepta in officiis Præſidum & Procuratorum, quæ velut in auctione duodecim, quatuordecim & viginti millibus Francorum proſtabant venal: Machiavell. *lib.* 3. *cap.* 35. Carpzov. *ad l. Reg. cap.* 10. *ſect.* 3. *num.* 9. Verum de Jure Civili Emtio Venditio officiorum eſt prohibita *Novell.* 17. *cap.* 1. *Novell.* 25. *cap.* 2. *Novell.* 82. *cap.* 9. ita ut is qui muneribus ſibi officium vel ſeculare vel Eccleſiaſticum comparabat, in illo crimen ambitus, in hoc ſimoniæ committeret & varia pœna coerceretur *tot. tit. X. de ſimon. per l. un. ff. & C. de Amb.* nihil enim perículoſius & pernicioſius eſſe poteſt, quam ſi pecunia honor acquiratur poſt poſita virtute; adeoque officiorum venditionem e Republ. eſſe exterminandam affirmant Cajetani *in verb. officiorum venalitas*, & alii communiter relati a Don Garſ. Maſtril. *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 20. Metuendum etiam, ne officiales pecuniam & pretium ſolutum ſubditis in juſte iterum extorqueant, adeoque peſſime in officio verſentur *l.* 1. *§. ſæpe ff. de depoſ.* Paul. Chriſt. *dec. Cur. Belg.* 133. *n.* 23. Quod ſi autem emtio Venditio officiorum alicubi recepta, tolerari poteſt, modo ſimul virtutis & meritorum ratio habeatur & pretium ſolutum non ſit exceſſivum ſed modicum, præcipue ſi illud in publ. uſum convertatur. Bald. *ad l. Barbarius. in* 1. *lect. col.* 2. *verſ.*

Venia-

Digitized by Google

Veniamus nunc ff. de officio prætor. Maſtrill. *lib. 1. cap. 20. num. 5.*

Th. XXXI.

Quia vero hominum fides fallax eſt & lubrica, & quo majus periculum publico metuendum, eo plus ſecuritati publicæ proſpiciendum eſt, ideo in delatione & conjunctione officiorum electi non prius ad eorum adminiſtrationem admittuntur, quam ſi fidem & diligentiam mediante juramento promiſerint, & vocatur hoc juramentum Germanice, die Dienſt-Pflicht. Et licet nonnulli Doctores, jure ſcripto illud non niti arbitrentur Martin. Mager. a Schönberg de *Advocat. armat. cap. 9. num.* 160. Tamen hujus rei veſtigia in ipſo jure civili extant. *l.* 14. *C. de Judic. jung. l. fin. C. ad L. Jul. repetund.* Et ejusmodi juramenta in ordinationibus judiciorum & alibi paſſim habentur. *Ord. Cam. part.* 1. *tit.* 5. die Ordnung des Regiments zu Augſpurg de anno 1500. quæ habetur in R. Imperii *pag.* 30. die Fürſtl. Br. Lüneb. Hoffgerichts-Ordnung *pag.* 38. *tit.* 16. Interdum tamen ſecundum hodiernos mores remittitur juramenti præſtatio, & quidem Principibus in ſuſcipiendo Capitanei Circuli officio, qui ſub fide politica bey Fürſtl. Gräflichen Treu/ Glauben und Worten dextram officii adminiſtrationem promittunt, eique tanquam juramento creditur, & quo ad effectus juramento æquiparatur. Joh. Jacob. Speidel. *Specul. var. Jurid. Polit. Hiſt. obſerv. & not.* von Kreyß Obriſten *pag.* 731.

Th. XXXII.

Ad modum tum deferendi tum conjungendi officia porro pertinet, ut electi non debeant aſcendere per-

 fal-

Digitized by Google

ſalrum, etiamſi reſcriptum imperiale habeant, ſed quo ordine ſunt recepti, & qui diutius aliis militavit, is debet quoque aliis præcedere. *l.* 7. §. 1. *C. de Advocat. diverſ. Jud.* Et ita etiam Jure Canonico ſtatutum, ut ſucceſſio in Collegiis non fiat niſi per gradus *Can.* 1. *& ſeq. diſtinct.* 77. *l.* 2. *Cod. de Prim.* Mortuo enim non ſuccedunt in loco vel gradu, ſed numero h. e. ultimum locum obtinere debent. Is enim gradu ceteris antecedat, quem ſtipendia meliora vel labor prolixior fecit anteire *l.* 10. *C. de Profeſſ. & Med. l. fin. de tyron. l. comperimus* 13. *C. de prox. ſacr. ſcrin.* Quippe ſurrogatus ſemper cedit antiquioribus, licet ille, cui ſurrogatur, ſit inter primos. Debet enim proximus ſuccedere defuncto non ulterior. *l.* 1. *Cod. de Agent. in reb. l.* 1. *C. de Mag. offic.* Quia, ubi dignitates adſunt pares, is potior, qui tempore receptionis prior. vid. Doctores *in tit. Decret. de Major & obedient.* Verum in diſparibus officiis priorem locum obtinet, qui majori dignitate pollet, *l.* 1. *&* 2. *Cod. ut dign. ord. ſerv.* Quin etiam Vrbium Magiſtratus ſolent eſſe temporarii & annui *l.* 1. *Cod. de muner.*, ita, ut quotannis certo tempore translocentur, dum in ſequentem annum, vel iisdem de novo conferuntur, vel aliis tribuuntur, quod dicitur der Raht/ oder des Rahts Aembter umbſetzen/ idque ex uſu Reipubl. eſſe Cothman. ait *Conſil.* 8. *n.* 51. *& ſeq. vol.* 3 Mævius *ad Jus Lubecc. lib.* 1. *tit.* 19. *art.* 4. *num.* 33. *&* 34. Inſtrument. pacis Osnabrug. *art.* 5. §. 4. 5. 6. 7. ubi ſimul eleganter conſtitutum reperitur, quomodo æqualitas & idem numerus ratione dignitatum ſenatoriarum aliorumque munerum publicorum in civitatibus nonnullis imperii utrique religioni addictis accurrate obſervandus ſit. Principum vero officia-

ficiales ſolent eſſe perpetui Anton. Perez. *tit.* 1. *lib.* 12. *num.* 10.

Th. XXXIII.

Præterea majora officia & dignitates olim codicillis a Principe ſubſcriptis dabantur. Hinc Codicilli Conſulares, Pro Conſulares, ſenatorii, *l.* 23. *Cod. Theod. de Prætor. & quæſt. l.* 5. *Cod. Theod. de perfect. dignit. l.* 74. *Cod. Theod. de decur.* Hodie quoq; Judicibus, Magiſtratibus & ad alias dignitates evectis a ſuperiore Codicilli dantur, qui vocantur die introduction Schreiben und beſtallungs Briefe / quos ubi quis accepit, ſacrilegii inſtar eſt, dubitare an dignus ſit, quandoquidem eum elegerit Imperator vel Princeps *l.* 3. *C. de crim. ſacril.* cum de principali Judicio ac voluntate diſputare non oportet, & quamvis contra leges quis promoveatur, dum ſcit Imperator, legibus ſolvit per *l.* 57. *ff. de re jud.* Jung. Menoch. *de arb. Jud. quæſt. caſ.* 389. *n.* 19. Demum ultra numerum in Collegium aſſumtus ſive ſuper numerarius particeps non fit jurium, quæ ſolis Collegiatis ſunt conceſſa, nam non aliter aſſumtus cenſetur, quam ſalvo & illibato jure ordinariorum, ita, ut, quamvis ille nitatur nova principis conceſſione, hæc tamen ita ſit temperanda ut jura & emolumenta, quæ ob laborem Collegiatis præſtantur, minime auſſerat aut imminuat. *l.* 1. §. *ſiquid a Principe ff. ne quid in loc. publ. Cap. quamvis de reſcript, in 6to* Jung. Perez. *tit.* 17. *lib.* 11. *n.* 9. & 13. Hactenus igitur circa modum deferendorum officiorum dicta, officiorum conjunctioni etiam applicari queunt, & applicanda ſunt.

Th. XXXIV.

De effectu vel unius vel plurium officiorum, reliquum eſt, ut aliquid adjiciatur. Et cum commodio-

Digitized by Google

ris ordinis gratia in tribus conſtituemus (1) in commodis (2) in obligatione & (3) in actionibus. Quod itaque commoda attinet, conſiſtunt illa primum in Conſtitutione & ſolutione ſalariorum. Nam ſalaria non tantum promitti & conſtitui, verum etiam ſolvi debent officialibus, quo diligentius ſuo officio fungantur, nec paupertatem in corpore luant Hilliger. in Donell. *lib.* 23. *cap.* 2. *p.* 1033. & hoc obtinet ſive in Aula, ſive in Judiciis, ſive alibi officium adminiſtrent, Nat ta *onſil.* 65. *num.* 1. *lib.* 1. Guttieretz. *lib.* 1. *quæſt. Pract. Civil.* 21. *& ſeq.* Klock. *de contribut. cap.* 15. *num.* 13. *& ſeq.* Adeo ut, licet caſu impediti Doctores non legant, vel alii officiales ſuo officio non perfungantur, tamen iis ſalarium conſtitutum debeatur Decius *Conſ* 70. *n.* 1. Brunnem. *ad l.* 15. *Cod. de advoc. diverſ. jud. num.* 6. Quod etiam ad veteranos & emeritos extenditur, ſi forſan ſenio vel valetudine impediantur, quia per hoſce non ſtat, adeoque perinde haberi debent, ac ſi exercerent officium *argum. l.* 38. *init. & §.* 1. *ff. locat. cond.* Cothm. *Conſ. Acad.* 14. *per tot.* In ſalariis autem præſtandis ſervanda eſt conſuetudo, nam vetuſtas habetur pro lege *l. final. C. nova vect. inſtitui non poſſe.* Inde ad aliquod officium electus præſumitur electus cum ſolito ſalario *arg.° l. licet & l. excepto* 18. *C. locat. Cond.* Gail. *lib.* 2. *obſ.* 23. *in fin.* idque in omnibus ordinariis officiis dicendum videtur Brun. *ad tit. Cod. de præbend. ſal. n.* 3. Inde porro fluit, quod nemini extra ordinem ſalarium conſtitui poſſit, nec augeri in conſulto Principe, Menoch. *lib.* 2. *arb. quæſt. Caſ.* 414. *num.* 21. *& ſeq.* Chriſt. *vol.* 5. *Deciſ.* 30. *num.* 3. Nam hoc eſſet contra conſuetudinem, & de alieno homines ſolent eſſe liberaliores Percz. *ad tit. C. de præb. ſalar. num.* 1.

Digitized by Google

Th. XXXV.

Præterea ſi quis duplici munere cui certa ſalaria ſunt conſtituta, recte & inculpate fungitur, utriusque muneris nomine ſalaria jure meritoque exigit, & ex acta debite recipit. *arg. l. bis ſchol.* 14. *C. de erog. milit. ann. lib.* 12. Platea *ibid. num.* 1. quia is, qui utitur duplici officio ex Lege ſtatuto ſeu ſuperioris permiſſione pro utroque ſalarium habere debet. Platea *ad l.* 3. *num.* 2. *Cum ſeq. de dignit.* eoque pertinet, quod quoties jura concurrunt in perſonam unius, idem ſervetur in perſona unius, quod in duabus *arg. l. ſi mihi & tibi* 12. *ff. de leg.* 1. Gail. *lib.* 1. *obſerv.* 44. *num.* 8. Mortuo vero intra annum officiali, ſalaria integri anni conſiliariorum Aſſeſſorum, Profeſſorum & Theologorum hæredibus debentur *argto l.* 4. *ff. de offic. Aſſeſſ.* Gail. *lib.* 1. *obſ.* 44. *num.* 12. Carpz. *in Juriſpr. for. part.* 2. *cap.* 5. *def.* 10. & *in Juriſpr. Eccleſ. lib.* 1. *def.* 171. imo, ubi ſalaria in ſemeſtria ſpatia dividuntur, ſi aliquis poſt 12. noctis horam primo die ſemeſtris inchoati v. g. feſti Michaelis moriatur, tum totius quadrantis ſalarium hæredes habent jure communi; & præterea jure ſingulari annum gratiæ germanice das Gnaden-Jahr / qui non a die Michaelis ſed nativitatis Chriſti inchoandus, & ſic in Profeſſoribus hujus Academiæ obtinet. Multominus vero officialium hæredes tenentur reſtituere, quæ defuncti acceperunt, ſi caſu fortuito & morte in ipſorum perſona contingente ab officii functione impediti fuerint *arg. l. ult. C. de cond. ob cauſ. dator.*

Th. XXXVI.

Commodum officialium (2) in eo conſiſtit, ut, qui Principum curiæ, aulæ, & familiæ ſerviunt civitatum Juriſdictioni non fiant obnoxii, modo hæc duo con-

conjunctim adſint (1) ut quis ſit in officio, & (2) ut in illo loco vel provincia, ubi domicilium habet, officium adminiſtret, nam ſi, alibi officium gerat, non videtur exemtus: Inde miniſtri Principum, quos vulgo vocamus Rähte und Diener von Hauß aus/ ordinariæ loci, ubi habitant Jurisdictioni, ſubſunt; Nam nullum officium in loco domicilii adminiſtrant. Mævius *ad Jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 2. *art.* 2. *num.* 38 *&* 39. Et hanc Jurisdictionem etiam participant officialium uxores, liberi, viduæ, eorumque integra familia, *arg. l.* 22. §. 1. *ff. ad Municipal. l. ult. C. de incol.* Huc (3) pertinet, quod officiales Principum ac Profeſſores immunitatem habeant ab oneribus Civilibus. A jurisdictione enim urbana exemti, eximuntur etiam ab urbanis oneribus, cum illa ſit horum radix & fundamentum. Mævius *part.* 3. *deciſ.* 321. *num.* 2. niſi ex negotiationibus veluti mercatura, braxatione cereviſiæ, exercitio navium, ſimilibusq; quæſtum aucupentur: videtur enim æquum, ut, cum ſuorum munerum limites egrediantur, & aliam conditionem aſſumant, quoad negotiationes iſtas immunitate non gaudeant, tum quia civilibus ſe miſcendo negotiis, civilibus etiam oneribus ſe ſubmittant, tum quia æquum, ut commoda quærendo, incommoda ſimul ſentiant. *arg. l. qui ſub prætextu.* 9. *C. de ſacroſanct. Eccleſ. l.* 10. *ff. de Reg. Jur.* Jung. *Ordin. Cam.* ubi idem conſtitutum quoad perſonas Aſſeſſorum & ſummi illius Judicii officialium, *part.* 1. *cap.* 49. *princip.* Mævius *dict. deciſ.* 331. *num.* 4. 5. 6 *& ſeq.* (4) Conſiliarii aliiq; officiales Principum, quin & Profeſſores a vectigalibus ſunt immunes, uti volunt colligere ex Receſſ. Imperii zu Augſpurg *anno* 1500. §. *Item* ſollen Churfürſten und Fürſten/ *&* Reichs Abſchied

zu

zu Wormbs *de anno* 1501. §. *item* ſollen Churfürſten und Fürſten 39. Jungatur Capit. Leopold Imperatoris §. 41. *in verb. final.* Wie ſie den auch / wegen der Zölle / Steuren und andern beſchwerden Befreyung 2c. & *Auth. Habita Cod. Ne fil. pro patr.*

TH. XXXVII.

Porro officialium & Profeſſorum domus ſunt immunes ab hoſpitatione militari von der Ein Quartierung *l.* 3. §. 2. *C. de advoc. diverſ. jud. l.* 6. *C. de Profeſſ. & Med. l.* 8. 9. 10. *C. de Metatis & Epidemet.* Anton. Faber. *in Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *def.* 26. *num.* 5. ne ſcil. in adminiſtratione officii & ſtudiorum ſuorum exercitio turbentur, & quia hoc onus perſonalem quandam vexationem infert, quæ officialium exiſtimationem lædere videtur, Klock. *de contrib. cap.* 17. *num.* 239. Neque etiam (6) in Judiciis comparere & coram Judice juramentum teſtimoniale præſtare coguntur, ſed domi ab iis exigi debet *l. Perſonas egregias* 15. *ff. de jur. jurand.* Inde etiam Conſiliarii Principum Juramentum calumniæ domi præſtare ſolent, Mævius *part.* 5. *dec.* 238. Demum (7) Conſiliarii Profeſſores & Advocati propter debita regulariter non poſſunt arreſtari, ne in functionibus ſuis impediantur, *l. jubemus l. petitione* 5. *C. de Advocat. diverſ. jud.* Beck. *de jur. ſiſtend. cap.* 5. *num.* 10. Mævius *de arreſt. cap.* 8. *num.* 95. & 123. neque etiam (8) hoc privilegium diſſimulari poteſt, quod Magiſtratus non poſſint torqueri, ne officio quidem depoſito in memoriam prioris dignitatis, *l. final. ff. de decur. & filiis eorum* Tabor. *de quæſt. cap.* 5. *num.* 35. *arg. l.* 8. & *l.* 10. *C. de dignit. lib.* 12. Inde Burgimagiſtrum ex hac cauſa ab aliquo Advocato torturæ ſubductum eſſe memorat Tabor allegato loco

G nisi

niſi forſan ſint crimina uti vocant excepta v. g. perduellio vel (2) conſenſu Principis torqueantur Carpz. *in praxi Crim. quæſt.* 118. *num.* 86. *&* 93. Et hæc omnia multo magis obtinent, ſi quis pluribus officiis ſit gravatus. Antequam autem a commodis officialium recedamus hæc adhuc quæſtio decidenda venit, ſi duobus officialibus ſurrogetur unus, qui utrumque officium gerat, annon privilegia & ſalaria utriusque & ita quaſi duplicis perſonæ ſalaria & privilegia adipiſcatur? Et de privilegiis hoc negandum videtur, ita ut unius perſonæ privilegiis perfruatur, cum privilegia debeantur perſonæ & individuo, v. g. tantum unam, non vero duas privilegiatas & immunes domos habere poteſt, verum ſalarium duplex pro duplici officio cum Bald. Salycet. aliisque Doctoribus ei largimur v. g. ſi quis Profeſſor duplex officium legendo ſuſtineat, nam in Facultate & Academia conſulendo unicam ſolet gerere perſonam. vid. Carpzov. *Jurisprud. Eccleſ. lib.* 1. *def.* 151. *Gail. lib.* 1. *obſ.* 44. *num.* 8. Brunn. *ad l.* 10. *num.* 6. *C. de advocat. diverſ. jud.*

Th. XXXVIII.

Effectus conjunctorum officiorum conſiſtit (2) in obligatione ipſorum officialium, quæ in eo primum verſatur, ut in ſingulis officiis debitam adhibeant diligentiam, cum qui commodum ſalarii ſentit, debet etiam ſentire onus laboris Joh. de Platea *ad l.* 14. *num.* 2. *C. de ſuſcept.* Brunn. *ibid. num.* 3. & qui munus non implent, ejus prætextu juvari non debent, *l. quæ ſub prætextu* 9. *C. de S. Sanct. Eccleſ.* Inde, qui ultra quinquennium abſens eſt, amittit locum in ſuo Collegio, & in genere omnis amittit privilegium, qui contra Profeſſionis ſuæ, quæ occaſionem Privilegio dedit,

dedit, leges & jura delinquit, *l.* 3. *C. de domeſt. & Protect.* Georg. Acaci. Enenkel *de Privil. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 46. Menoch. *lib.* 2. *arb. quæſt. caſ.* 182. *num.* 27. Quapropter etiam Clericus vagabundus degradandus eſt *l.* 22. *l* 42. §. 1. *l.* 51. *Cod. de Epiſc. & Cler.* Et in genere officium deſerens non meretur ad iſtud iterum admitti, quia male peccatum eſt, officium quod geritur, deſerere *argum. l.* 3. §. *qui militiæ* 8. *ff. de re milit.* nec eſt tam remotio officialis, quia ipſe a cancellis abiit, quam tacita quædam ipſius reſignatio, & ſibi imputet, ſi quidquam incommodi ex eo accidat, quia deſerens ſic voluit, nam ex ſua culpa damnum ſentit, *l. damnum ff. de Reg. Jur.* Mævius *part.* 6. *eleg. deciſ.* 264. *per tot.* Quia (2) officiales & tutores inter ſe comparantur *l. Præfect.* 63. *ff. de rit. nupt.* Prückm. *vol.* 1. *conſ.* 30. *n.* 12. ideo concludunt Doctores, quod illi tantum dolum & levem culpam præſtare teneantur, quia tutores ad plus non ſunt obſtricti *l.* 1. *princip. ff. de tut. & ration. diſtrab. l.* 7. *C. arbitrium tut. l.* 23. *ff. de Reg. Jur.* & imperitia culpæ annumeratur *l.* 132. *ff. de Reg. Jur.* per vocabulum autem culpæ abſolute poſitum in Jure denotatur culpa levis *l.* 5. §. 2. *Commod. l.* 23. *ff. de Reg. Jur.* Accedit quod officia non ſolum in ipſorum officialium verum etiam ejus, qui eos officio admovit gratia gerantur, perinde vero eſt ſive illa culpa in omittendo conſiſtat, uti ſi in officio conſtitutus aliquid negligat facere unde damnum oritur, nam illud reſarcire debet. Menoch. *lib.* 2. *arb. quæſt. Caſ.* 35. *n.* 8. ſive in committendo, modo ſeſe non ingerant & officium affectent, ſibique deferri procurent, quo caſu ad leviſſimam culpam tenentur, cum affectare quisque non debeat, in quo intelligit vel intelligere debet

Digitized by Google

infirmitatem ſuam aliis periculoſam futuram *arg.* §.7. *inſtit. ad L. Aquil.* & *l.* 8. *ff. eod.* Prückm. *dict. Conſ.*30. *num.*115. Brunn. *ad dict. l.* 8. *ff. ad L. Aquil. num.* 1. Et videtur ſeſe offerendo alios diligentiores & peritiores excluſiſſe, & exactiſſimam promiſiſſe diligentiam, *arg.* §. 1. *in fin. inſt. de oblig. quæ quaſ. ex cont. naſc. l.* 21. *C. mand.* Culpa tamen in officiali non præſumitur, ſed potius eum diligenter officium ſuum & fideliter adminiſtraſſe, Maſcard. *de prob. concl.* 1132. *n.* 5. Alciat. *de præſumt. reg.* 3. *præſumt.* 15. *num.* 1.

Th. XXXIX.

Quin etiam (3) Magiſtratus a muneribus accipiendis ſe abſtinere debet, cum puras ad officium manus afferre teneatur, & munerum acceptatio nihil aliud ſit, quam prævaricatio veritatis *Can. qui recte cauſ.* 11. *quæſt.* 3. oculorum & mentis occœcatio *Eccleſiaſtic. cap.* 20. libertatis & juſtitiæ nundinatio; adeoque jure Civili quilibet Magiſtratus jurato promittebat, ſe a muneribus accipiendis abſtinere velle, &, qui contra faciebat, ac aliquid, quo magis minusve officium ſuum faceret, accipiebat, incidebat in crimen repetundarum, *l. final. C. ad l. Jul. repet. l.* 4. *ff. eod.* Hodie Magiſtratus extraordinarie puniuntur, & Senatu moveri poſſunt *arg. l.* 2. *ff. de Senat.* Excipiuntur tamen Xenia *per elegantem legem ſolent* 6. §. *non vero* 3. *ff. de offic. Proconſ.* dummodo ſint modica & plerumque olim erant eſculenta Danhuder. *in pract. Criminal.* 130. *Rubr. de corrupt. n.* 9. ubi exemplificat, ut ita loquamur, in leporibus, perdicibus, ſalmonibus & ſimilis generis Mynſ. *cent.* 2. *obſ.*75. dicitque ordinario Judici id eſſe permiſſum. Ita etiam metra vini Ein Stübgen Wein loco honorarii recipi poteſt, nec ſpectant etiam ad hanc prohibitio-

tio-

Digitized by Google

tionem, ſi quæ ex more Regionis vel civitatis dare licet, Albert. *in l.* 2. *num.* 3. *ff. de cond. ob trup. Cauſ.* vel quæ loco ſportularum, quas privati alicubi officialibus expendunt ſtatuta ſunt *l. final. verbo Salariis ad l. Jul. repetund.* Mævius *ad Jus Lubecc. lib.* 1. *art.* 4. *num.* 29. (4) Nemo officialium, quæ ſui officii non ſunt, attingere, vel alienis ſe immiſcere debet, *arg. l. duos* 13. *C. de ſuſcept. cap.* 1. *&* 2. *X. de Cler. non ordinand,* ne promiſcuis actibus officia turbentur *l.* 23. *C. de teſtam.* & quia alienis ſe immiſcere culpa eſt, *l. Culpa ff. de Reg. Jur.* (5) Judices litem ſuam faciunt ſi male judicant, nam tunc tenentur in id, in quantum judici æquum videbitur, *Princip. Inſtit. de oblig. ex quaſi delict. l.* 4. §. 4. *ff. de oblig. & act. l. fin. ff. de extraord. cognit.* Et ſic judex tenetur de negligentia, quæ parti nocet, & quidem ad intereſſe partis præſtandum Menoch. *Conſ.* 1205. *num.* 49. Interdum civitas parti propter damnum per imprudentiam judicis ab ipſa conſtituti datum tenetur Brun. *ad l.* 2. *ff. de adminiſt. rerum ad civit. pert. num.* 13. *ubi caſum in terminis habet.* (6) Adminiſtratores rationem ſuæ adminiſtrationis, & quidem ſecundum fidem datorum & acceptorum reddere tenentur *l.* 2. §. 2. *ff. de adminiſt. rerum ad civit. pert.* nam hæc eſt generalis regula in omnibus adminiſtratoribus recepta Joh. Heeſer *de rat. loco* 1. *per tot.* Et quidem ſi is, qui ad rationes reddendas adminiſtratorem vocat, Juriſdictionem habeat, poteſt eum etiam compellere Mævius *part.* 3. *deciſ.* 246. *n.* 2. (7) Officiales actiones nomine officii inſtituere & ſuſcipere tenentur. Nam propria cujusque cauſa intelligitur, quæ eſt officii, quia hoc obligat ad agendum *l.* 1. *C. de adminiſt. tut.* & quisque ad officium, in quo eſt reſpicere tenetur *l.* 2. *C. de in lit. jur.* Mævius *part.* 2.

deciſ. 38. & hæ obligationes multo magis locum habent adverſus officiales, quibus plura officia committuntur. Addendum etiam eſſet aliquid quando, & quatenus officiales finito officio adhuc obſtricti maneant, & quatenus eorum hæredes obligentur, verum quia noſtrum ſcopum hæ quæſtiones non tangunt, & ad finem properandum, iis decidendis ſuper ſedebimus.

Th. XL.

Reſtat igitur ut (3) effectus nimirum actiones & quidem eæ præcipue, quæ officialibus competunt (nam quæ vice verſa remedia ſuperiori adverſus ſuos miniſtros dantur ex parte apparebunt, ubi de modis finiendorũ officiorum agemus) breviter conſiderentur. Ratione igitur reſidui vel, uti vocant, deſerviti ſalarii officialibus competit, ſi ſunt Procuratores vel Advocati, duplex remediũ, Alterum retentionis, nam propter ſalarium promiſſum, vel etiam impenſas factas Procuratores & Advocati tamdiu acta & documenta Originalia retinere poſſunt, uſq; dum ſalariũ ſolvatur, & impenſæ reſtituantur *l.* 25. *in fin. ff. de Procurat.* Alterum eſt actio ſive cognitio extraordinaria vel etiam Imploratio officii Judicis *l* 1. §. 12. *& fin. ff. de extraord. cogn.* Sin vero alii adſunt officiales, illis etiam hodie extraordinaria cognitio ſive imploratio officii judicis conceditur, ita tamen, ut non aliter condemnatio quam cum præcedente cauſæ cognitione fieri poſſit; Gail. *l.* 1. *obſ.* 44. & ita in cauſa petendi reſidui ſalarii judicatum fuit in camera Spirenſi ao. 1659. 1. *Julii* Blum. *chiliad ſentent. n.* 551. & ao. 1660. die 6. Julii num. 670. Cujus poſterioris ſententiæ hic tenor eſt. In Sachen weil Lt. W. S. nachgelaſſener Wittiben Klägerin wider Herr W. W. von T. Grafen zu F. beklagten andern theils citationis ad viden-

dendum exigi ſalarium ſeind die durch Dr. A. G. producirte Beylagen der Original Beſtallung lit. A. & B. von Ambtswegen vor bekand hiemit angenommen/ daraus und allen fürbringen nach zu recht erkand/ das der Herr beklagte der Klägerin den geklagten Beſtallungs-Reſt/ ſo viel ſich in richtiger Abrechnung befinden wird/ ſambt den intereſſe a tempore moræ, wie auch derentwegen aufgeloffene Unkoſten nach rechtlicher ermäſſigung zu entrichten und zu bezahlen ſchuldig auch zu ſolchen allen zu condemniren und verdammen ſey/ als demſelben hiemit condemniren und verdammen. Et in hac poſteriori cauſa tandem etiam mandatum executoriale *anno* 1663. *die* 26. *Jan.* decretum fuit ſequenti modo. In entſchiedener Sache weil Lt. W. S. nachgelaſſener Wittiben Klägerin wider W. Herrn Grafen zu F. beklagten citationis ad videndum exigi ſalarium iſt das gebethene mandatum ad exequendum auff die Creys ausſchreibende Fürſten hiemit erkandt Blum. *chiliad. ſent. num.* 910.

Th. XLI.

Quod ſi vero officialis ob delictum vel aliam cauſam ab officio ſit deponendus ſive removendus hoc non poteſt fieri niſi cauſa cognita; Nam prius audiri debet officialis cum ſuis defenſionibus per remedia juris ordinaria Mævius *lib.* 2. *deciſ.* 12. *num.* 8. quia depoſitio a munere eſt res magni præjudicii, fortunas & famam contingens, adeoque non temere & leviter tractanda. Mævius *lib.* 7. *deciſ.* 27. *num.* 7. Inde Clerico & officiali ſi abſque cauſæ cognitione deponitur, vel ab officio removetur, datur actio vel exceptio ſpolii, licet enim commiſerit delictum, propter quod ſit deponendus, non tamen debet ſpoliari officio per viam facti,

ſed

ſed cauſa cognita, Berlich. *part.* 1. *concluſ. pract.* 21. *num.* 42. & propterea appellatio etiam a depoſitione & abdicatione officii eſt permiſſa, modo cum injuria abdicati conjuncta ſit, vel in ejus contumeliam aut magnum damnum cedat, nam abdicatio non debet fieri niſi juſte & ſine injuria abdicati, Mævius *part.* 2. *deciſ.* 12. *num.* 7. *&* 8; Idem obtinet in ſuſpenſione ab officio; Quia enim in dubio ſemper locus relinquitur appellationi *l.* 1. §. *final. ff. de appellat.* & nullibi Civili aut Canonico Jure ab officio ſuſpenſis appellatio penitus interdicta reperitur, ideo non ſtatuenda eſt ſine lege ejus excluſio: modo non fiat tanquam cenſura & correctio, hæc enim appellationem regulariter non admittit, ſed ut criminis pœna, & ab illa appellationi locus eſt, & effectus idem, qui aliis appellationibus tribuendus eſt; ideo pendente hac appellatione, officii commodis ſuſpenſus adhuc fruitur Scacc. *de appell. quæſt.* 3. *num.* 78. Mævius *lib.* 1. *deciſ.* 191. *num.* 7. Et hæc omnia Juris remedia non tantum officiali, qui uno gaudet munere, verum qui cumulata gerit officia, in Jure dantur atque competunt.

Th. XLII.

Modos demum finiendorum officiorum quod attinet, illi ſunt duplices, vel ex parte, vel in totum officia exſtinguuntur. Ad priores ſpectat ſuſpenſio. Et duplex hujus cauſa a Canoniſtis traditur ſcandalum & Correctio, Abbas *in cap.* 1. *X. de excommun.* Inde etiam medicinalis dicitur, & nihil eſt aliud, quam cenſura, qua interdicitur ad tempus muneris exercitium, Jul. Clar. *in pract. crim.* §. *final. quæſt.* 15. *num.* 1. Mævius *part.* 1. *deciſ.* 191. *num.* 4. eaque in miniſtris Eccleſiæ præcipue locum habet, Carpz. *in Jurisprud. Conſiſt.*

lib.

lib. 3. *def.* 114. & eſt pœna carceris gravior *dict. def. n.* 3. qua alias miniſtri Eccleſiæ ob leviores nævos ſolent affici, & in eorum perſonis Germanice appellatur, der Prieſterliche Gehorſahm. Carpzov. *in Jurisprud. Conſiſt. part.* 3. *def.* 113. (2) interdictio Advocaturæ ad certum tempus facta, quæ ſuſpenſioni non eſt ab ſimilis, & tempore finito prohibitus poſtulare vel etiam Advocati officio uti, ad utrumque iterum admittendus eſt, *l.* 8. *ff. de poſt. l.* 5. *de decur.* Et hæc interdictio non porrigit ſuum effectum extra Jurisdictionem Judicis prohibentis *l.* 9. *ff. de poſtul.* & ſic alibi clientibus patrocinari poteſt; interim tamen licet adverſarius contra ejusmodi advocatum non excipiat, judex tamen ex officio repellere poteſt, *l. quos prohibet* 7. *ff. de poſtul.* Huc (3) pertinet, ſi miniſtri Principum ab aulis ad certum tempus prohibentur, wenn ihnen der Hoff verbohten wird/ idque non tam propter ſcandalum fit, quam ut ipſis ira principum ſignificetur Brunn. *ad l. un ff. de offic. Procurat. Cæſ. vel rational.*

TH. XLIII.

Aut vero in totum officium exſtinguitur, idque fit vel *renunciatione* ſive *reſignatione*, vel *abdicatione* vel *remotione* ſive *depoſitione* vel *degradatione* vel demum *morte*. Renunciare ſive reſignare munus quilibet regulariter poteſt officialis *argum. l. ſi mandant.* 22. §. *final. ff. mand.* & viceverſa dominus abdicare poteſt; modo abdicatio non ſit conjuncta cum injuria abdicati, vel in ejus contumeliam Mævius *part.* 2. *deciſ.* 12. *num.* 5. & 6. Depoſito vero non poteſt facile fieri præcipue in miniſtris Eccleſiæ, niſi ob atrox delictum & gradibus admonitionum præmiſſis, at-

que cauſæ cognitione præcedente, & in ſe perpetuam ab officii adminiſtratione remotionem continere ſolet, alia tamen privilegia & immunitates ab officio depoſiti retinent Carpzov. *in Jurisprud. Eccleſ. lib.* 3. *deſ.* 109. *num.* 16. *& deſ.* 117. *num.* 3. Verum ſi degradatio accedit, illa non ſolum ab officio & dignitate removet, verum ſimul omnibus privilegiis exuit, ac Clericus ſeculari poteſtate puniendus traditur wird ihme vorher die Hartzkappe ausgezogen / & hic degradationis modus locum quandoque habet in Laicis aliqua dignitate inſignitis, puta ſi ſit aliquis Doctor, qui propter delictum privandus eſt Cingulo doctorali, vel miles exuendus cingulo militari. Jul. Clar. *lib.* 5. *Sent.* §. *ult. quæſt.* 74. *num.* 5. Sed degradationis ſolennia apud Principes Auguſtanæ confeſſioni addictos locum ulterius non habent Carpz. *in Jurisprud. Conſiſt. lib.* 3. *deſ.* 117. *num.* 8. *&* 9. Quia demum in deferendis officiis fides & induſtria certæ perſonæ eligitur, ideo morte officialium ea exſtinguuntur *arg.* §. 5. *inſt. de ſociet. &* §. 10. *inſt. de mand. l.* 26. *& ſeq.* §. 3. *ff. eod. l.* 15. *C. eod.* modo non ſint hæreditaria. Perinde vero eſt ſive naturali morte decedant, ſive etiam capitali pœna afficiantur, vel propter delictum commune vel in officio perpetratum, qualis pœna capitalis & quidem ſtrangulationis ſtatuta eſt a D. Henrico Julio in miniſtros juratos, qui ultra centum florenos doloſe aliquid in proprios uſus conſumunt. Conſt. Henrici Julii de anno 1594. den 1. Aug. §. Würde den bemeldte Summa auff 100. fl. Müntze / oder darüber lauffen ꝛc. Demum per translocationem non quidem exſtinguuntur officia ſed miniſtri a ſuperiori ad inferius, ab optimo ad ſterile munus transferri ſolent,

lent, eaque iterum tam in ſecularibus quam Eccleſiaſticis locum invenit, wenn die Prediger zu einer pœnitentz Pfarr translociret werden / Mævius *ad Jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 1. *art.* 4. *num.* 33. Carpzov. *in Jurispr. Conſiſt. lib.* 3. *def.* 119. Et quidem in conjunctis officiis ita hæc enumerata uſum habere poſſunt, ut officiales vel unum aut omnia officia reſignent, vel ab uno aut ab omnibus ſuſpendantur, abdicentur, deponantur, aut degradentur, vel demum in uno ſolum vel in omnibus fiat translocatio. Sed abrumpamus finem noſtri laboris, divino Numini immortales gratias perſolventes, quod ejus auxilio hujus diſſertationis telum pertexere licuerit: Benevolus Lector errores qui forſan ex improviſo irrepſerunt, pro benevolo erga nos affectu haut ſiniſtre interpretabitur.

F I N I S.

Du ſchreibeſt / **Wehrter Freund** / von Pflicht- und Amts-Gebühren /
Wie einer Seulen Krafft zwey Bürden auf ſich faſt;
Mag doch die Fürſten Hand ein doppelt Scepter führen /
Warüm ein Phöbus Kind nicht zweyer Aemter Laſt?
Was ſchwehre-Bürden trägt / iſt ungemeiner Stärcke /
Der Palmen Tugend iſt / daß nichts ſie unterzwingt;
So iſt ein TugendGeiſt / je mehr der Amtes Wercke
Auf ihn gehäuffet ſind / je höher er ſich ſchwingt
Durch ſtrenge Flügel Macht; wer will dem Adler wehren
Daß er dem Sonnen-Straal ſich ſtets entgegen ſetzt?

Digitized by Google

Und flieget Himmel an? dem muß man zwiefach ehren/
Den zweyer Aemter Laſt den doppelt Fleiß ergetzt?
Du machſt hievon/ **mein Freund**/ die erſte Probe ſtellen/
Und wehlen/ was du wilt/ Laſt oder faule Ruh;
Dein unermüdter Fleiß wird ſich fürwar geſellen
Zu dem/ was Ehre bringt; drüm thu' ich noch hinzu:
Wo Kunſt und Tugendſchein zuſammen ſich verpaaren/
Wer beyder **Reichthum** hat/ der iſt ein Glückesſohn/
Da will die **Majeſtät** getreuen Sold nicht ſparen/
Ein doppelt Ehren-Amt iſt/ ohne Laſt/ der Lohn/
Herr Reiche hat bisher noch Fleiß noch Schweiß verſaget/
Drüm iſt auf ſeinem Haupt der Ehrenpreiß allein;
Iſt jemand/ der hierin nach ſeinem Zeugniß fraget?
Kan dieſe Prob-ſchrifft ihm der beſte Zeuge ſeyn.

Hiemit *gratulirte* zu ſchuldigen Ehren aus verbundener Pflicht des Herrn *AUTORIS* treu beſtändiger Blut-freund und Diener

Chriſtian Ulrich Blume,
von Hildesheim.

A01147612 0

Digitized by Google

Digitized by Google